

DESCRIPTIONIS
INDIÆ OCCIDENTALIS,

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

G U A J A N A .

I N T R O D U C T I O .

Superiori libro absolvimus descriptionem Brasiliae septentrionalis, & lustravimus oram omnem usque ad Param, quam Lusitani hodie numerant inter Capitaniae, quae ab ipsis in hac parte Americae Meridionalis possidentur; licet Brasiliae limites nunquam antè huc usque pertinuerint, sed secundum Bullam pontificis Romani & ea quae postea inter Reges Castellae & Portugalliae convenerant, deserint ad Maranhon. Porro Regiones quae deinceps sequuntur tantum leviter cognitae sunt intra Continentem; ad oram autem maris & ripas fluminum, superioribus annis maxime illustratae fuerunt ab Anglis & Belgis nostris; & ut fere solet fieri tam diversis nominibus notatae, ut non raro perdifficile sit dijudicare num de iisdem an de diversis fluviiis & regionibus loquantur, & nobis plurimum laborandum fuerit, in distinguendo & singula suis locis attribuendo: annitemur tamen quantum fieri potest difficultates omnes in sequenti libro extricare. De communi harum provinciarum nomine non multum laborabimus, nam licet Herrera hanc Americae Meridionalis partem ab Insula Margarita versus ortum & usque ad Maranhon videatur appellare Novam Andaluziam vel praefecturam Serpæ; eamque extendat ad trecentas leucas; eisque comprehendit scribat per celebres in illis partibus populos Omaguas & Omigas, & in interiori Continente opulentissimum regnum El Dorado; tamen quia nomina jam diu obsoleverunt, & hodieq; dubium sit, an Dorado extet in rerum natura nec ne, aut saltem anxie adhuc ab Hispanis & aliis queratur: Nos universum hunc terrarum tractum inde à Para quam superiori libro absolvimus usque ad Pariam de qua sequenti agemus, nomine hodie maxime recepto appellabimus Guajanam, vel ut nostris quoque appellari consuevit, Oram Barbaram: Hanc dividam in tres partes, in flumen Amazonum, ut jam vulgo audit; in Guajanam proprie dictam, quae complectitur plurima flumina quae hic exeunt è Continente in Oceanum septentrionalem, inter dictum Amazonum flumen & Oronoquen; & denique in ipsum Oronoquen, facilius enim hoc pacto & verus regionum situs, & illius distinctiones elucescent. Alii appellant hanc partem Vvianam, sed haec nomina uti parum differunt, ita nullas tenebras huic descriptioni apud praemonitos offundent.

PARS

Expeditio Francisci de Orellana qui hoc flumen primus putatur invenisse & lustrasse.



d. 6. lib. 8.
cap. 6.

NOTE QUAM descriptionem hujus fluminis aggredior, operæpretium me facturum existimavi hic nobilissimam expeditionem, commemorare, quæ occasionem præbuit hoc flumen primum inveniendi, quemadmodum illam memoriæ tradidit *Antonius de Herrera*.

Postquam *Belalcazar Popajanam* subjugasset, & animum adjiceret ad alias vicinas provincias lustrandas, incidit in manus illius barbarus quidam peregrinus, qui se oriundum ferebat è provincia *Cundurumarca*, quæ multo auro aliisque divitiis afflueret, ita ut incolæ illius laminis aureis armati belligerarent: unde factum est ut Hispani illis provinciis, quas barbarus hic designabat, nomen inderent *El Dorado*; id accidit, ut narrant anno 1535. *Gonsalvus* autem *Pizarro* anno 1541 Præfectura *Quitensis* provinciæ à Fratre *Francisco* donatus, hanc *Dorado* provinciam lustrare & subjugare unice desiderans, idoneas copias adunavit & legatum suum fecit *Franciscum de Orellana*. Dein è *Quitensi* provincia transiens in provinciam *de los Quixos*, cum summa difficultate transcendit nivosa & aspera *Andium* juga, & descendit in convallem *Zumaquen*, triginta leucis à *Quito*; indeque digressus in *Canelam* quum nihil tanto conatu dignum ibidem reperisset, rediit denuo in *Zumaquen*, atque illi vicinam *Ampuam*: ex qua profecti, trajecto flumine, pagum attigerunt, quem barbari appellabant *Varco*. Cæperant jam dudum annonæ angustia premi, & inter hosce barbaros parum admodum farris reperiebatur, itaque incerti quid potissimum agerent, cymbam ædificarunt: missusque *Orellana* cum illa atque aliquot lintribus uniligneis ad comæatum investigandum: itaque secundo flumine delapsus, & quotidie viginti aut viginti quinque leucas emensus, (nam fluvius satis perniciousiter devolvebatur, ob crebros amnes qui dextra levaque in ipsum confluent) aliquandiu nullos mortales offendit; octavo demum Januarii anni 1541 incidit in pagum cujus incolæ & annona & aureis monilibus abundabant, illumque nullo pene negotio occupavit.

Orellana deinceps, (sive noluerit, sive nequiverit ad Præfectum suum reverti, quem omnium rerum & maxime annonæ inopem reliquerat) hic alteram cymbam cœpit moliri, flumen porro descendere certus. Quâ initio Februarii utcunque perfectâ, viginti leucas promovit; atque hic non leve discrimen adiit, cymbis à rapidissimo fluvio, qui ab Austro in hoc flumen confluebat pene everfis: à quo porro descendens, ducentarum leucarum intervallo, nulla domicilia invenit aut ulla hominum vestigia; tandem ventum ad regionem ab hominibus cultam, & pagum cujus regulus *Aparia* dicebatur, qui & perhumaniter illos accepit, psittacos & perdices, piscesque elargitus; & monuit, ut provide sibi caverent ab *Amazonibus*, quas in itinere obvias erant habituri: barbari suo idiomate vocabant *Comapnyaras*. Annona autem & aliis necessariis hic in cymbas impositis, xxiv Aprilis promoverunt, & circiter octuaginta leucas dilapsi, denuo inciderunt in vastas & incultas regiones; & ripæ fluminis hic ita altæ & præcipites erant, ut nusquam daretur in terram descendere. Duodecimo demum May attigerunt provinciam *Machiparo* incolis frequentem, quæ fines jungebat cum altera cujus Regulus dicebatur *Aomagua*: hic à barbaris hostilia passi, qui biduo eos lintribus suis sunt insecuti, tandem applicuerunt ad pagum, omni

omni annonæ genere refertum, quem barbaris dilapsis nullo negotio sunt ingressi; plures ab hoc semitæ satis tritæ tendebant in varias partes, ita ut provinciam hanc frequentem & bene cultam esse satis appareret: Atque hic itinerum rationibus subductis, circiter trecentas & quadraginta leucas jam ab Aparia descendisse compererunt.

Hinc solventes Dominica post festum Ascensionis, circiter duabus ab hoc pago leucis alium fluvium sunt prætervecti, cujus ori tres parvæ insulæ interjacebant, unde illi nomen indiderunt *Rio de la Trinidad*: regio hæc peramœna, & perfœcunda ipsi visa, atque adeo incolis frequens, nam tot lintres ad ipsos adnavigabant, ut procul à
10 ripa medium alveum tenere cogentur, à barbaris sibi metuentes. Postero die pagum qui ripæ assidebat sunt ingressi barbaris nequicquam repugnantibus; in quo & plurimum annonæ invenerunt, & vasa fictilia eleganter cocta & variis coloribus picta atque incrustata; qualia passim in hisce regionibus magna copia reperiri testabantur barbari, nec non plurimum auri atque argenti.

Duæ semitæ ab hoc pago ducebant ad interiorem regionem, verum ob suorum paucitatem, & barbarorum multitudinem, illam lustrare inconsultum ipsis visum: itaque medium alveum sequentes, postquam circiter centum leucas promovissent, appulerunt ad provinciam cujus Regulus dicebatur *Pagnana*: à quo humaniter excepti, magnum numerum earum ovium hic viderunt, quas supra Peruvix familiares
20 esse diximus; & alterum ejusdem provinciæ pagum prætervecti, venerunt ad aliam provinciam, à cujus incolis repulsi, annonam invitis barbaris abriperunt.

Hinc digressi, fluvium offenderunt, qui ab leva descendens, in hunc tanto impetu undas suas nigras (unde ipsi nomen *Rio negro* datum) spargebat, ut ad viginti pene leucas cursum suum & colorem fervaret: plures pagilicet exigui ad ripam visi, quidam & ab ipsis capti, ut annonam raperent; atque ita per varias provincias & plurimos pagos dilapsi, pervenerunt tandem ad *Amazonum* provinciam, uti barbarus quidam quem ceperant testabatur, nec tamen in terram sunt egressi ante septimum Junii: quo die pagum sunt ingressi, in quo tantum fœminas reppererunt, viris demum sub vesperam redeuntibus, quum jam ipsi annona onusti ad cymbas suas remeassent:
30 ventum deinceps ad alterum pagum, quem nominarunt *de las Picotas*, quia hic septem capita humana palis suffixa videbant: ab hoc variæ semitæ silicibus strata egrediebantur, utrimque arboribus amænè tectæ: regioque hæc omnis & populis frequens & bene culta apparebat.

Ventum deinde ad insulam amnicam, sub qua aliquantulum substiterunt, monitque sunt à fœmina, quam ibi offenderant, intra Continentem mortales agere Hispanis similes, atque duas fœminas colore candido agere apud regulum quendam, qui illas adverso flumine subduxerat: unde suspicati sunt aut *Didacum de Ordas* aut *Alfonsum de Herrera* illac iter agere, (de horum expeditionibus postea diceretur.) Ab Insula digressi porro navigarunt, & licet plures ubique pagos ad ripam cernerent,
40 nusquam excenderunt, ne quidem ad pagum, quem fœmina illa ad peregrinos illos ducere affirmabat; donec ventum fuit ad municipium, in quo non tantum plurimum Mayzii sed & hordeum, Europæo non absimile reppererunt, è quo barbari potum suum dicebantur coquere: multi quoque hic panni gossypini visi, & templum in quo barbari arma sua suspenderant; & duæ mitræ Episcopales è variis plumis eleganter contextæ.

Vigesimo secundo Junii plurimi pagi ad sinistram ripam ab ipsis visi, ad quos appellere prohibebantur à pernici aquarum lapsu. Mox cornu quodam terræ superato, longe adhuc plures pagos conspexerunt & incolas in armis, ut advenas hosce arcerent, inter quos fœminæ aliquot, vasto corpore, cæsarie proluxa, & candida cute visæ
50 quæ magna animositate mares ad pugnam educebant: *Amazonas* crediderunt Hispani de quibus jam ante incertum rumore acceperant; non satis idoneo, uti *Herrera* recte monet, argumento, neque enim novum aut mirum fuisse in illis Americæ partibus fœminas atque adeo adolescentulas una cum viris in prælia ruere & fortissimè cum hostibus pugnare, cujus rei exempla apud scriptores Hispanos obvia sunt. Hæsit tamen hac de causa flumini nomen. licet hæctenus nihil de *Amazonibus* constiterit, etiam eis qui flumen aliquot centenis miliaribus ascenderunt.

Plurimos

Plurimos deinceps pagos & valde frequentes ad dexteram præternavigarunt, à quibus ab indigenis arcebantur, neque usquam audebant in terram descendere. Hanc provinciam appellarunt *Sancti Ioannis*, quia festo illius die primum illam attingerant: erat autem imprimis amœna, bene culta, & uti eminus iudicabant, perfecunda; montes qui passim assurgebant, pluribus arboribus vernabant, præsertim proceris quercubus; solum maxima parte editum & campestre & venationi peropportunum; denique ad centum leucas aut circiter se extendebat, plurimis pagis ad ripam fluminis ubique oblitum.

Hinc medium fere fluminis alveum sequentes, inciderunt in plurimas insulas, editas & haud infœcundas & indigenis plenas, qui piraguis suis (ita vocant hic cymbas barbarorum uniligneas,) allabentes Hispanos sagittis petebant: maxima insularum quinquaginta leucas in longitudinem patere visa. Atque hic sub sylva paululum quieverunt, & barbarum quendam captivum nactus *Orellana*, varios cum illo sermones habuit, ope vocabularii quem in itinere sensim confecerat: Hic miramur narrabat de *Amazonum* opulentia atque potentia, nam & multum auri atque argenti possidere, imprimis autem quatuor templa in terris illarum visi quorum solum atque parietes, aureis laminis tecta essent; ædes privatas è lapidibus substructas; oppidaque muris cincta, aliaque ejuscemodi, quæ difficulter apud harum regionum gnaros fidem inveniunt.

Ab hac insula solventes, ad lævam fluminis ripam, editum & peramœnum solum & frequentes pagos conspiciuntur, pene centum leucarum spacio; barbarus autem ille narrabat, amplissimam hanc regionem parere Regulo cui nomen erat *Carapuna*, qui plurimum argenti possideret; incolæ hujus regionis sagittis utebantur veneno infectis; atque hic tandem æstum maris cœperunt sentire. Ventum porro ad aliam provinciam cui *Chipago* imperabat; continuo à barbaris armis petiti, ita ut duo illorum caderent.

Regionem omnem à dextera tam populosam videntes, & indigenas tam infestos experti, ad sinistram ripam declinant, quæ nullis pagis culta erat, licet & hic plures barbaros intra Continentem degere haud vanis indiciis constaret.

Hinc porro & Continentem humiliorem, & plurimas insulas offenderunt, ita ut Continentem postilla attingere nequiverint, licet ut ipsis visum, per hæc insulas pene ducentarum leucarum iter absoluerent, & æstum maris valide ascendentem toto hoc intervallo experirentur.

Denique juxta ostium fluminis, paululum commorati, & cymbis suis relictis alto se committunt inter duas insulas, quæ quatuor leucas à se invicem distabant eluctati, vigesimo sexto Augusti Anno 1541. Et oram Continentis radentes nono demum die pervenerunt ad Fretum quod vulgo vocant *Golfo de Paria*; quod septiduo enavigantes, per angustias quas appellant *las Bocas del Drago* (de quibus postea) undecimo Septembris appulerunt ad *Cubaguanam*. Rationibus autem itinerum subductis, se circiter mille & octingentas leucas Flumen illud ingens descendisse sunt opinati.

C A P. II.

Secunda Expeditio Francisci Orellanæ ad magnum hoc flumen.

QUVM *Orellana* ad istum modum, maximum hoc flumen, invenisset, quanto citius in Hispaniam est profectus, & Carolo V Imperatori & Hispaniarum Regi ex ordine narravit quæcunque viderat, & quantum divitiarum ex provinciis quæ flumini adjacent sperari merito posset: Et ab ipso haud difficulter impetravit, ut sibi soli liceret flumen illud adire, & provincias illas domare & Coronæ Castellæ adjungere: Neque tamen expeditionem suam suscepit ante annum 1541; quo anno undecimo mensis May cum tribus onerariis solvit è portu *S. Luca*, adiitque Teneriffen Canariarum unam, ibique substitit tribus mensibus; & sub Promontorio Capitis viridis ad Africæ Continentem, duobus: octo supra nonaginta suorum variis morbis interea desideratis, & circiter quinquaginta qui navigationi inidonei iudicabantur relictis; in trajiciendo autem Oceano ab Africa ad Brasiliam tempestates valde contrarias expertus, ita ut omnibus siti pereundum fuisset, nisi pluviam

pluviæ ipsis succurrissent; & una navi qua septuaginta viri & undecim equi vehentur, Oceano hausta aut alicubi fracta (nam quid illa factum sit ignoratur,) cum duabus reliquis continentem adnavigavit haud longe à vadis *S. Rochi*. Atque hinc secus oram Americæ Meridionalis navigans, & flumen *Maranhaon* circiter centum leucas prætervectus; medio gradu ab Æquatore versus Austrum & circiter duodecim leucis à terra dulces latices offenderunt in alto mari, ita ut *Orellana* constanter affirmaret, flumen illud ingens quod quærebat hic evolvi.

Flumen ingressi, applicuerunt ad duas insulas frequentibus barbaris cultas à quibus annonæ copiam permutatione mercium acceperunt: Hinc alveum fluminis ad
10 centum pene leucas subvecti cum utraque navi, anchoras jecerunt juxta barbarorum pagum, quibus admodum parca annona erat: Atque hic quum septem supra quinquaginta suorum amisisset, neque superstites utrique navi regendæ pares esse animadverteret, lyburnicam moliri cæpit, (& alteram navium demoliri, ut ferramentis uteretur;) perfecitque tertio mense.

Ascendit deinceps flumen circiter viginti leucas, fregitque hic alteram navem, & è tabulis alteram lyburnicam est molitus, quam triginta viri vix duobus mensibus & dimidio perfecerunt. *Orellana* interea cum priori lyburnica adverso flumine subvectus anxie & diligenter requirebat principalem fluminis alveum, sed nullo operæ-
20 precio facto ad suos reversus, denuo idem aggreditur, suis mandans, ut lyburnica perfecta ipsum sequerentur ad *Cornu S. Joannis*.

Hispani hi Præfecto suo parentes, lyburnica absoluta, & comœatu comparato, flumen ascendunt usque ad Insulam *Marribuique*, & porro ad Insulam *Caritan* supra quam circiter triginta leucis flumen dividebatur in tres ramos, qui deinde rursus in unum alveum conveniebant, ita ut hîc latum esset circiter duodecim leucas.

Verum quum se numero multum diminutos & omnium rerum inopes agnoscerent, ulterius ascendere inconsultum visum; itaque secundo flumine dilabentes; circiter quadraginta leucis ab ostio fluminis, applicuerunt ad continentem, uti opinabantur, solo satis edito: *Comao* appellari referebant barbari; ubi annonam, vili pretio
30 sunt nacti. Atque hic centum Hispanos, soli bonitate & amœnitate allecctos, sedes fixisse, prodit *Herrera* (quod tamen minime verisimile est, quis enim credat aut post tot viros variis morbis extinctos, tot adhuc superesse potuisse, aut tantum hominum numerum una Lyburnica vehi.) reliquos ostium fluminis egressos secundum continentis oram navigasse & tandem applicuisse ad Insulam *Margaritam*; ibidemque invenisse *Orellana* viduam, quæ maritum intra flumen ex mœore obiisse testabatur, quod principalem fluminis alveum frustra jam bis indagasset, & opes suas tam irrito conatu profudisset.

Atque hæc quidem de utraque *Orellana* expeditione dicta sunt; è quibus sane Geographiæ parum lucis poterit accendi, siquidem nullas aut altitudinum observa-
40 tiones, aut plagarum designationes, prout res postulabat, subministrat.

Id tantum satis manifestis indiciis opinor patere, *Orellanam* hunc, flumen hoc de
quo nobis jam sermo est descendisse, & secundo petivisse, ita ut jure adhuc de nomine ipsius debeat appellari. 1.3.c.2.

Orellanam sed multorum annorum intervallo secutus est Petrus de Orsua, anno nimirum MDLX, ut scribit *Ioannes de Castellanos*, cujus expeditionis ita meminit *Josephus de Aosta*: militum (inquit) Tribunus *Petrus de Orsua* aliam expeditionem suscepit secundum hoc flumen (loquitur autem de flumine Amazonum licet familiari errore etiam appellet *Marannon*) & ipso defuncto, & militibus tumultuantibus alii tribuni, donec perventum fuit ad mare septentrionale. Narravit, (inquit) mihi religiosus no-
50 stræ societatis, se adhuc secularem illi expeditioni interfuisse; & deprehendisse æstus marinos ad centum leucas adverso flumine ascendere, & quando flumen Oceano misceri incipit, sub ipso Æquatore aut circiter, æstuarium illius septuaginta leucas latum esse, quod pene fidem superat, & excedit latitudinem maris mediterranei; licet alii in suis descriptionibus, tantum viginti quinque aut triginta leucas attribuant: hæc ille. Meminit hujus expeditionis *Waltherus Ralegus* in *Guiana* descriptione; & scribit *Orsuam* è Quito digressum per fluvium *Ojam* in *Amazonum* flumen ingressum:

& ab Agrio Cantabro trucidatum fuisse. Meminit ejusdem & Lupus Vazius.

Non reperio quenquam Hispanorum postilla hoc flumen iustrasse, aut coloniam ad provincias has deducere conatum, ita ut apud *Herreram* & alios Hispanos scriptores, quos quidem viderim, altum de hoc flumine sit silentium; Solus *Lupus Vazius*, cujus commentarius Anglicè fuit excusus, scribit Portugallum quendam id tentasse, sed irritò successu, & flumen nisi paucis leucis subvectum, neque quicquam notabile designasse. Post annum autem 1610 cxxv Portugalli ad Paræ ripam, qui sine dubio hujus magni fluminis ramus est, cœperunt incolere, ut ante diximus, & animum ad cætera forte adicient, nisi ab Anglis & Belgis nostris impediuntur. Sed jam ad fluminis descriptionem nos conferemus.

10

C A P. III.

Magni fluminis Amazonum descriptio secundum Anglorum & Belgarum observationes.

MA X I M U M hoc flumen, quod à barbaris putant appellari *Tobo*, vel etiam *Param* (ut solent fere omnia magna flumina, lacusque & ipsum mare *Para* nomine designare; communiter nominatur ab Hispanis *Rio de S. Iuan de las Amazonas*; & interdum à primo inventore *Orellana*; licet hoc nomen etiam attribuant *Oronoqua*, uti videre est variis locis apud *Iosephum de Acosta* & *Antonium de 20 Herrera*, eodem errore, quem supra manifestavimus in *Marannon* descriptione.

Scriptores omnes qui hujus fluminis meminerunt, maximam latitudinem ascribunt illius æstuario, intervallum inter duo promontoria, alii quinquaginta, alii sexaginta, alii adhuc pluribus leucis definientes: quanquam autem à nostratibus, qui à Promontorio illius Orientali, secundum quod *Para* elabitur, ad dextram fluminis ripam navigarunt longe pauciores leucæ deprehensæ fuerint, ita ut os angustius esse necesse videatur; tamen quum constet latitudinem utriusque Promontorii plurimum differre, & Orientale quidem circiter dimidium gradum ab Æquatore divergere versus Austrum, Occidentale vero duos gradus ab eodem Æquatore versus Arctum; utraq; opinio satis commode poterit reconciliari; nam qui maximam latitudinem illi assi- 30 gnant, ab uno Promontorio ad alterum videntur putare, qui minimam rectam lineam à Promontorio Orientali ad oppositam oram sequi.

Mira quoque narrantur, præsertim ab Hispanis de pernici hujus fluminis lapsu, & copiosis undis quas devehit in Oceanum, quo fiat ut ad plurimas leucas cursum suum inter maris fluctus servet & potabiles undæ longe extra ostium hauriantur: quæ sane verissima esse experientia comprobavit; sed oportet distinguere inter anni tempestates, nam pluviis mensibus, quum maxima undarum copia à montibus defluente flumen hoc intumescit, id maxime fieri consentaneum est. Narrat *Harcourtius* Anglus qui has partes egregie illustravit in *Guiana* descriptione, se nono May circiter triginta milliaribus à terra fluminis cursum in alto deprehendisse, undasque hausisse 40 tam pulchras potari, quam si è fonte aliquo emanassent: & altitudine æquoris bolide tentata orgyas invenisse triginta fundo arenoso: postero autem die undæ color mutari cœpit & crassior atque lutosior evadere, mari ibidem tredecim & rursus septendecim orgyas alto: undecimo demum terram ad Occidentem conspexerunt: Idem & ab aliis observatum.

Nostrates qui jam pluribus annis hoc flumen adjerunt commerciorum gratia & quam diligentissime, ut solent, observarunt, testantur illud haud commodius & cum minori discrimine adnavigari posse, quam si oram *Brafilæ* septentrionalis & *Maran- haon* prætervectus, requiras altitudinem unius gradus & triginta scrupulorum ab Æquatore versus Arctum, & deinceps cursum instituas versus Occidentem, ut faci- 50 lius vites rapidum fluvii decursum; ad hanc autem altitudinem, deprehendes bolide quadraginta aut triginta orgyas & fundum arenosum, & sensim ascendens ad viginti & tandem ad duodecim aut pauciores, aquam falsam reperies qualis est in alto, deinceps æquali pene quinque aut quatuor orgyarum altitudine navigabis integrum diem; verum ubi mare magis altum evadit, & descendit ad octo aut novem orgyas, jam terra videri eminus incipit, & sensim aqua potabilis accidit & qualis fluviorum esse

esse solet. Ad hanc autem altitudinem continens nullo speciali indicio discernitur, nam solum fere æquale est, & arboribus obsitum; littore strato inter Eurum atque Corum; si quis autem pluviis mensibus hic accedat, cautio est locis vadofioribus anchoras jacere, donec aut noctu aut interdiu altitudinem poli datur dimetiri. Quo pacto autem fluvius subeundus sit, nulla ratione præscribi potest, quia vada tam crebro mutantur, ut bolide altitudinem aquarum periclitari unica sit cautio.

Continens, flumen hoc ab occidente contingens, prominet in altum vasto Promontorio duobus gradibus ab Æquatore versus Arctum; quod ab aliis *Cabo Race*, ab aliis *Cabo de Nord*, à nostratibus *de Noord Caep* appellatur; ab eo descendit ingens vadum ad aliquot milliaria in altum; ad quod uti & ad ipsum Promontorium Oceanus ingentes fluctus voluit, ut validis funibus atque anchoris opus habeant, qui juxta illud forte in anchoris coguntur consistere.

Porro à Promontorio hoc oram continentis legentibus, circiter novem leucis, primo occurrit *Arremary* non tam fluvius, quam fluvii ramus, sive fretum, Promontorium cum magna parte continentis veluti abscindens; ita ut ii qui forte imprudenter Promontorium fuerint prætervecti, haud difficulter velificando per hoc fretum in flumen possint regredi: os autem illius septentrionale distat ab Æquatore uno gradu & triginta scrupulis versus Arctum & intrat primo recta versus Austrum, deinceps versus eurum, unde cubito reflectitur & tandem egreditur versus boream. Infra autem os hujus freti circiter duabus leucis prominet cornu continentis, quod vocant *Arrepoco*.

Ab *Arremary* ad primam sive septentrionaliorems insulam, (earum unam quæ vasto æstuario hujus fluminis magno numero injacent, ab una ripa ad alteram) numerant duas leucas, hæc à quibusdam appellatur *Kaluarie*, ab aliis *Arrepoco*, atque etiam aliter.

Ab hac ad *Sapno* sive *Sapenon* ad dexteram fluminis ripam numerant quatuordecim milliaria, quinquaginta scrupulis ab Æquatore versus Arctum, ut à nostratibus accurate invenio annotatum: antequam autem perveniatur ad *Sapno*, egreditur è continente exilis amnis quem vocant *Weywey*: *Sapno* exigua est insula, injacens semicirculari sinui, quem continens hic admittit, in quem exeunt duo amniculi, infra quidem insulam *Arrowas*, supra vero *Paricores*, ad cujus ripas barbari incolunt. E regione denique ad sinistrum fluminis latus jacet insula *Arromen*.

Ad latus autem fluminis dexterum sequitur exiguo intervallo pagus *Matarem*, & magis intra continentem *Roakery* & *Anarcaprock*. Ad sinistrum vero, quod totum insulis obtegitur Insula *Sapanapoock*; & *Matiana* sub ipso Æquatore: itemque pene dimidio gradu ab Æquatore versus Austrum insula *Corropokery* sive, ut alii nominant *Corpecari*.

Ad continentem autem è regione *Corropokery*, designant elicem sive amniculum quem vocant *Tockes Kille*. Ab hoc loco flumen ascenditibus pene ad unum gradum ab Æquatore versus Austrum, occurrit fluminis ramus, qui versus Aquilonem descendit inter plurimas insulas, ubi ad Orientalem fluminis oram visuntur *Aropoya*, *Corpoppy* & *Capitan*; sive, ut ab aliis appellantur *VVayecorpap*, *Mannetibi* & *Corpappi*. Et deinceps ad idem latus paulum supra *Aropoyan* sequitur *Matorion*, & pene ad altitudinem unius gradus & quinquaginta scrupulorum versus Austrum barbarorum pagus *Huaman*; & duobus gradibus & viginti scrupulis ab Æquatore pagus barbarorum, quos vulgo vocant *VVomians*.

Alii annotant ad latus fluminis dexterum *Cogemymne* sive *Coyminne*, à quo fluvium ascenditibus occurrunt multæ exiguæ insulæ & vada atque rupes, denique Cataractes, qui prohibet hunc fluminis alveum altius ascendere, ita ut certo certius sit hunc non esse principalem hujus fluminis ramum.

Qui accuratius oram continentis lustrarunt, testantur insulam *Sapno* circiter leucam unam patere in latitudinem, sitamque esse inter duos amnes *VVeypo* & *Matianam*; ab hac autem ora se producere versus Ortum usque ad cornu terræ quod vocant *VVetaly*, cui unius leucæ intervallo ad ortum objacet insula *Quiriana*: ab illo autem versus Austrum circiter duas leucas & semissem

incipit Insula *Arowan*, cujus angulo Meridionali, ad continentem è regione objacet locus qui à nostris vocatur *Water-huys*; flumen inter utrumque latum est pene duo milliaria. Ab angulo *Water-huys*, ad rubrum Angulum numerant quatuor leucas; è regione ad sinistrum latus jacent quatuor insulæ humiles & undis pene æquales, & in medio alvei oblonga insula, quam nostri vocant *Coci-Insulam*.

A rubro Angulo inclinatur se ripa versus occasum spacio sesquileuca, ubi Continenti objacet Insula leucam longa, freto valde profundo sed tantum centum passus lato à Continente divisa, id fretum vocant nostrates *Appelrack*: hæc insula uti & Continens seu prima terra, est edita, quæ hoc flumen ascendentibus fit obvia. E regione hujus freti intervallo unius leucæ, incipit ad orientale fluminis latus Insula *Sapenopoko*. Ad oram porro Continentis sive ripam fluminis dexteram sequitur *Callepoke* & mox Insula quæ ab amne ambitur qui ab occidente illabitur in magnum flumen, & appellatur *Brest*; & paulo ultra *Taurege* elix sive torrens, cui intra Continentem affidet pagus *Taurege*; sequitur deinceps ad eandem ripam *Okiarii* amnis, supra quem intra Continentem siti sunt tres barbarorum pagi.

Angli & Nostrates multum laborarunt ut principalem hujus fluminis ramum scrutarentur; & tandem, ut à fide dignis accepi, invenerunt: descendit autem ab Africo, profundo & nullis vadis impedito alveo; sed ubi potissimum egrediatur & quibus notis dignosci possit studiose celant. Memini autem me superioribus annis audire ex Anglo quodam fide haud indigno, quod principalem fluminis alveum versus Occidentem ascendisset ad trecenta milliaria, & penetrasset in grandem lacum, cujus undæ exquisitè virebant, neque potabiles erant, vidisseque in itinere oppidum barbarorum, in quo ducentæ aut trecentæ ædes & circiter mille animæ numerabantur.

C A P. IV.

Continents hujus & Insularum cœli solique qualitates & fructus atque incola.

REGIONES quæ magno huic flumini adjacent, cœlo gaudent satis salubri: Solum autem non est uniusmodi, nam arenosum atque effœtum hic reperitur; & alibi fœcundum atque omnis generis fructuum feracissimum. Frequentes sunt sylvæ, in quibus pene reperiuntur omnis generis arbores, quas huic Continenti familiares esse jam ante diximus, licet aliter à barbaris appellentur. Inter fructiferas arbores celebratur una, cujus alibi non video mentionem fieri, quam barbari vocant *Ademonie Totocke* & fructum *Totocke* (notandum autem *Ademonie* ipsis sonare arborem:) Est autem arbor valde procera & ramosa; foliis grandibus (& quæ forma non multum ab ulmi frondibus,) obscure virentibus, nisi quod postica parte nonnihil videntur candicare; nullos fert flores, sed certas gemmas quæ colore nihil differunt à foliis, quæ sensim crassescunt & protrudunt fructum grandem & mole interdum capitis humani, pene rotundum, antica parte nonnihil compressum, cortice ligneo, duro & admodum crasso, exterius striato & tuberoso, coloris fusci & pene nigri: Dividitur interius certis septis in sex veluti regiones, in quarum singulis concluduntur, octo, decem & interdum duodecim nuces arte inter se conjunctæ; quæ singulæ iterum ligneo, duro & satis crasso cortice tectæ sunt & variæ formæ, pleræque tamen triangulares una parte convexiore, cum tribus veluti futuris, valde rugosæ & asperæ, minus tamen quam exterior cortex, tres uncias longæ & sesqui unciam latæ, coloris rossi & interdum cinerei aut fusci: his continetur oblongus nucleus, totas implens instar amygdali, rubicunda membrana tectus, carne candidissima, & solida, & nonnihil oleosa: sapore magis videtur accedere ad avellanas quam amygdala, horum tamen usum in omnibus egregie potest supplere, etiam ad tragemata facienda, uti à nostris fuit observatum. Barbari attribuunt ipsi facultatem venerem excitandi, & proverbio dicuntur usurpare *Pigue Secke in saccuve pingean Totocke*, id est, si venerem ambis aut appetis, comede *Totocke* fructum. Clariss. Vir. Carolus Clusius meminit interioris

Totoc-
ke.

1.2.c.18:

rioris nucis in Exoticis, ejusque dat qualemcumque Iconem, nos eandem ad vivum accurate exprimēdam curavimus, ea mole & forma qua erat, quæ tamen multis modis ludit, prout compressæ fuerint nuces in suis regionibus. Quoniam arbores quæ hunc fructum ferunt adeo sunt altæ, & fructus adeo

10 gravis & durus; illis maturis, non audent barbari sylvas ingredi nisi valida parma aut alio tegmine caput tecti atque muniti, nam fructus hi decedentes instar silicis caput illis comminuerent.

Nascitur quoque in sylvis arbor quæ fert nuces myrticis plane similes, & virtu-

20 te quadam aromatica præditas, sed invalida & quæ statim evanescat.

Accepi & à quodam nostrorum fructum elegantissimum, quem hic nasci referebat in arboribus sylvestribus, quarum tamen frondes haud satis poterat explicare, itaque fructum tantum ad vivum expressum hic adjunximus ea mole qua erat.

Fructus hic erat cortice lignoso, exterius tuberculis multis aspero, eleganter conformato & è duobus veluti orbibus conjuncto, coloris fusci sive cinerei qui interius sepimento

30 ligneo dividuntur in duas orbiculares cellas, quibus singulis continentur singuli nuclei, rotundi quidem sed ea parte qua sepimentum contingunt non nihil compressi; suis itidem corticibus tecti, lignosis itidem sed tenuibus, coloris interiori parte purpurei sive violacei; nucleus autem ipse





40 intus vacuus erat, materie pene instar gallarum, sed magis fungosa.

Præterea reperiuntur hic variæ arbores, materie admodum dura, & elegantibus coloribus: variæ itidem quæ resinas & gummi fundunt. Nascuntur variis locis Sacchari

cannæ. Copiosissime denique pita herba, cujus alibi meminimus.

50 Nec desunt hic variæ gemmæ & metalla, aliaque commerciis apta, de quibus in secunda hujus libri parte plenius dicemus.

Barbari qui Continentem habitant potissimum sunt è gente quam vocant *Taos*, ingenio minime malo: intra Continentem & aliæ incolunt, præsertim *Arwacca*, itemque *Cockettway* & *Pattecui*, *Tockianes* atque *Arytians*, denique *Comoes* & *Wackehanes*. Quibus ab aliis adduntur *Maraons* qui *Sapno*, *Weywey*, *Anewyan*, *Quarian* & *Wetaly* incolebant: Et *Arowians* qui in reliquis insulis degebant, de quibus obser-



vavit quidam nostrorum, hosce longo capillitio uti instar foeminarum; atque hinc potissimum putat opinionem de Amazonibus natam, quod sane vero non est ab simile.

Frustra sit qui hodie easdem plane nationes iisdem sedibus hic se reperire posse speret, nam praeterquam quod levem ob causam saepe mutant, postquam Lusitani è Para has partes adierunt, tanta mutatio facta est, ut quum nostri anno 1610 CXXIX hic appellerent, alibi nullos, alibi plane alios barbaros repererint. De moribus & institutis atque idiomate alibi dicetur, nam fere uniusmodi sunt ad universam hanc oram barbarorum mores, idioma tamen diversum est, uti è collatione, quam mox institutam manifestè patebit.

10

C A P. V.

Brevis narratio eorum quæ à Belgis in his partibus fuerunt gesta.

ANTÈ QUAM hanc partem concludam, operæ precium fuerit meminisse eorum quæ à Belgis nostris in hisce partibus fuerunt gesta.

Belgæ enim nostri qui confœderatas provincias habitant, decreto satis rigido ab Rege Hispaniarum, dominiis ipsius omnibus exclusi, longinquiores navigationes tentare cœperunt, & imprimis has Americæ Meridionalis partes, ab Hispanis & Lusitanis adhuc intactas tentare. Quare anno 1600 XC VIII & etiam ante, Amste-
lodamenses atq; alii mercatores, naves suas ad has oras destinarunt, ut commercium cum barbaris qui has oras accolebant constituerent & stabilirent; earum una quum anno jam dicto oram omnem inde à Brasilia Septentrionali rasisset & Maranhaon esset prætervecta, atque adeo promontorium magni fluminis Amazonum, quod lustrare intenderant, attigisset, derepente & præter opinionem se satis longe à litore inter vada & arenarum pulvillos veluti conclusam animadvertit; Itaque anxii & quid agerent incerti, antequam exitum ex illo discrimine invenissent, vicinam Continentem, & præsertim flumen quod vasto ore in Oceanum hic egreditur lustrare in animum induxerunt; itaque liburnica propius ad terram proveci, oram omnem Continentis pone Promontorium humilem & æquori æqualem, & non
paucis locis ab eodem superfusam deprehenderunt; præterea arboribus illis manguis ad fluctus usque maris ita obsitam, ut nullus aut perdifficilis ad terram aditus pateret: Dein ad interiora promoventes, amnem offenderunt, qui ab ortu in majorem alveum elabebatur; hunc ingressi penitus perlustrarunt, deprehenderuntque intra Continentem illum in plures recessus vel forte totidem ramos spargi, paucis tantum milliariis navigabiles; verum quum nihil magni pretii hic invenissent, aut saltem nullum lignum Brasilianum, quod potissimum tum requirebant, irritò successu ad navem suam sunt reversi; anni huic ab ardeis, quas magno numero hic viderant, nomine imposito: quem credo eundem esse, ad quem Portugalli aliquot annis post illa arcem Param condiderunt; didicerunt autem à barbaris partem hanc
Continents ab ipsis dici *Marapam*; nec quicquam operæ pretii præterea tum ab ipsis factum, nisi quod etiam insulam unam atque alteram, earum quæ à dicto Ardearum flumine jacent versus occasum, & amplissimum magni fluminis Amazonum æstuarium in plures ramos dispescunt, visitarunt eminus, neque tamen propter vada potuerunt penitus perlustrare.

Alii deinceps succedentibus annis etiam magnum Amazonum flumen adire & lustrare sunt aggressi; in quo potissimum Zelandorum opera atque industria enituit, adeo ut etiam colonias ad fluminis hujus ripas deducere & duas arcas hic moliri non dubitaverint; unam quidem, quam Nassavicam dixerunt in *Coyminne*, quæ instar insulæ angusto fluminis ramo à reliqua Continente disjungitur ad milliaria
pene viginti; distabat autem hæc arx circiter octuaginta milliariis ab ostio fluminis Amazonum. Alteram, quam Auraicam nominarunt circiter septem milliariis infra priorem. Juxta utramque denique & agris colendis & commerciis cum barbaris exercendis gnaviter incubuerunt.

Postilla quum jam amplissimo diplomate, illustrissimi & potentissimi Confœderati Belgii ordines generales, navigationem ad Americam utramque certæ Societati

tati

tati addixissent, cæteris omnibus suis subditis, præterquam iis qui nomina ad hanc Societatem dederant, exclusis: Alii deinceps hujus Societatis auspiciis, atque permissu huc colonias destinarunt, & arces variis locis sunt moliti. Tentarunt idem eodem pene tempore Angli atque Hyberni. Verumtamen tam hi quam nostri à Portugallis è Para venientibus inopinatò oppressi & fugati, non leve damnum fuerunt perpeffi; ad quod refarciendum, & acceptas injurias vindicandas, majori conatu & viribus institutum repetere & urgere satagunt.

C A P. VI.

10 *Ora hujus Continentis, & flumina quæ ex illa egrediuntur, à magno flumine Amazonum ad flumen VViapoco.*

MAGNI fluminis *Amazonum* æstuarium egressis & occidentali illius promontorio superato, occurrit versus occasum littus legentibus, primum insula, duobus gradibus & quinq; supra quadraginta scrupulis ab Æquatore versus Arctum, quam nostri vulgo vocant *Conijnen-Eyland*, id est, cuniculorum insulam.

Ab hac insula ad *Crabbebooren*, sive ut alii vocant *Caaripapooren* numerant triginta milliaria versus occidentem: quo nomine designant sive plures insulas angustis fretis
20 divisas, sive continentem variis partibus ab æquore superfusam, & lacubus stagnisque distinctam; duobus gradibus & quinque supra viginti scrupulis ab Æquatore versus Arctum. Accepi à quodam Belga, qui navi ad hanc oram fracta, enataverat, & pene octo annis inter barbaros vixerat, hanc partem continentis, maximam partem à fluctibus maris, ubi æstus implevit, regi & barbaros qui hic incolunt, piscibus potissimum victitare, alterius annonæ & farris fere inopes: abundant tamen fructibus quibusdam palmarum, satis grati saporis, quos pro farre usurpant.

Ab hoc loco, ad fluvium *VViapoco*, egrediuntur è Continenti modici aliquot amnes, qui non nisi quum æstus valide implevit mediocribus navibus adiri possunt, æstu relabente pene oblimati. In nominibus autem illorum designandis nonnihil
30 variant Authores: *Harcourtius* Anglus post *Arramary* de quo supra; nominat *Micary*, *Conawini* & *Cassipurough*; *Laurentius Keymis* itidem Anglus, *Iwaripoco*, *Maipari*, *Coanawini*, *Caspurough*; alii adhuc alia assignant nomina, sed à præcedentibus parum diversa. Operæprecium erit ipsum *Harcourtium* audire, qui in descriptione *Guiana* ita infit; Occidentale fluminis *Amazonum* brachium sive ramus appellatur *Arrapoco*, juxta quem plura barbarorum dominia sita sunt. Ab *Arrapoco* versus Arctum, exit *Arradwary* pulcherrimus amnis, quique amœnissimam regionem perlabitur. Ab *Arradwary* ad amnem *Cassipurough* extendit se provincia *Arriary*, comprehendens dominia *Arradwary*, *Maicary* & *Cooshebery*, quibus imperat *Anakary* gente *Tajus*, qui è provinciis ad *Oronoquen* sitis ab Hispanis pulsus, iisdem supra modum infensus, in hanc
40 provinciam cum suis commigravit, & sedes fixit *Mooruga* in provincia *Maicary*. Ab hac provincia versus Corum egreditur in Oceanum amnis *Conawini*, cum quo Dominium *Cooshebery* fines jungit, cujus regulus nominatur *Leonardus Ragapo*, vasallus *Anakary*; à *Ralegho* in Angliam deductus, & ibidem baptizatus, unde Anglis obnoxius, & ipsorum idioma utcunq; callet. Cæterum in *VViapogo* aliquandiu hærens, quum è barbarorum relatione accepissem, in hujus reguli provincia reperiri gemmas quasdam, quas vulgo adamantes esse opinantur; Cognatum meum *Fisherum* misi, ut hanc rem penitus indagaret & ejuscemodi gemmas mihi afferret: Is ab hoc *Leonardo* perhumaniter acceptus, facile impetravit barbaros, qui illum ad locum ducerent, ubi hæ gemmæ dicebantur reperiri, circiter quinquaginta miliaribus intra continentem. Visus ab ipso in
50 itinere editus mons, quem vocant *Cowob*, in cujus vertice narrant barbari lacum jacere qui optimos pisces nutriat: cætera quoque regio fœcunda & peramœna apparuit. Verumtamen gemmas hæc nequaquam adamantes, verum è *Topasiorum* genere patuit, qui eleganter polito interdum nitore cum adamantibus certant: spes tamen haud vana superat, forte & adamantes hic repertum iri, siquidem *Topacy* in India in iisdem cū adamantibus venis reperiri volunt. Hæc ille. Hæ gemmæ etiam alibi ad hanc oram reperiuntur, quarum plurimas vidimus, & poliri fecimus, sed neque duritie neq; nitore ullo

modo cum Orientalibus *Topasis* comparandas; sunt enim nitore lacteo & nebuloso, & haudquaquam tam transparenti quam illi.

Nostrates collocant ad hanc oram fluvium *Arikaryn* duobus gradibus & septem supra viginti scrupulis ab Æquatore versus Arctum. Et quatuor milliariibus & semisse ab hoc versus eorum *Carsewinnen* sive *Cassewinin*, duobus gradibus & quatuor supra triginta scrupulis ab Æquatore.

Quidam & nostrorum qui hanc oram accurate lustraverat; à Promontorio de *Nord* numerat primò ad fluvium *Makaryn* circiter undecim milliaria; dein tredecim ad ostium fluvii *Clapepouri* (ut ipse vocat) tribus gradibus ab Æquatore versus Arctum, tertio ab hoc ad fluvium *Cassipouren* undecim, tribus gradibus & quinque supra quinquaginta scrupulis versus Arctum; quartò à *Cassipoure* usque ad *Wiapoco* flumen duodecim.

Porro *Cassipoure* amnis licet pene dimidium milliare in ostio sit latus, tamen vix quinque palmos est altus, quum æstus paulum cœpit recedere: elabitur autem è paludibus; ripam sinistram accolunt *Arracosy*; & supra hos versus *Clapepouren* degunt *May*, qui hostes sunt omnium littoralium barbarorum, & supra modum ab iis metuuntur; neq; injuria, sunt enim bellatores strenui, & periculorum atque adeo mortis summi contemptores: Nam (uti accepi à quodam nostrorum qui expeditioni interfuerat *Arracosiorum* rogatu cum sex septemve aliis Christianis;) nostrorum bombardas tam parum metuebant, ut pluribus jam cæsis sex illorum intra lanceæ tactum audent accedere, & quinque statim prostratis, sextus cui tantum crus globo alato ablatum fuerat, ad extremam sanguinis guttam sese defenderet.

A flumine *Cassipoure* (ut *Harcourtius* prodidit) versus fluvium *Arracouw*, & porro intra continentem usque ad fluvium *Army*, (qui supra Cataractas in *Wiapoco* descendit) jacent provinciæ *Arracoorum* & *Morounia*; quæ haud minus amœnæ & fertiles sunt quam *Cooshebery*. Provincia *Arracooria* adhæc admodum est populosa, parebat tum regulo, cujus nomen erat *Ipero*. Licet autem *Arracory* & *Wiapocenses* amici esse videantur, neque se invicem armis infestent, tamen animis nonnihil dissident.

Morounia quoque à plurimis barbaris incolitur, qui ab humanitate erga advenas imprimis commendantur; in ejus pene medio exsurgit editus mons & ad modum pyramidis à natura formatus, à cujus vertice amœnissimus in subjectam undiquaque regionem prospectus est.

Morouniam excipit versus Austrum & ripas fluvii *Army*, alia provincia quam vocant *Norrack*, cujus incolæ sunt *Caribes*, & hostes *Morouniorum* atque *Wiapocensium*; quum utrique hi, uti & plures littorales barbari, *Anakyari* pareant longe maximo *Taorum* principi, qui omnem oram usque ad flumen *Essequeben* (de quo postea) occupant. Atque hæctenus quidem pertinent regiones & provinciæ quas magno *Amazonum* flumini assignamus.

P A R S A L T E R A

W I A P O C O .

C A P . VII.

Descriptio fluminis VViapoco & aliorum vicinorum, provinciarumque quæ illis adjacent.

PR O M O N T O R I U M quod sinum ab ortu claudit, in quem flumen *Wiapoco* & alii minores amnes egrediuntur, distat ab Æquatore IV gradibus & XXX scrupulis versus Austrum; appellaturque ab Anglis quidem nunc *Cabo de Conde*, nunc *Cabe Cecil*; à nostratibus autem *Cape d'Orange*, & non raro *Cabo de Nord*.

Hoc promontorio superato, flectit se continens versus Austrum; atque hic egreditur amnis *Arracouw* in ipso ostio pene dimidium milliare latus, procul è continenti & ex provincia *Arracosiorum* barbarorum descendens, qui *Tais* confœderati, juges inimicitias exercent cum *Mayis*. Excipit autem *Arracoa* alios ab dextra levaque amnes; & imprimis *Arcohile* quem nostrates lustrarunt anno 1610, & circiter duo

duo milliaria subvecti offenderunt alterum amnem quem vocant *Ycoripen*; & post tria milliaria tertium, *Tamynen* barbaris, altum quidem, sed undis adeo placidis, ut pene stare videatur; hinc quatuor milliar. ascendentes offenderunt barbarorum pagum *Sapyten*, & per nemus & profundam uliginem penetrarunt ad alium pagum *Awarapatam*.

Harcourtius autem scribit intra continentem in *Aracoam* confluere fluvium *Wats*, de quo nihil præterea accepimus.

10 Circiter dimidiam leucam magis versus Austrum egreditur flumen *VViapoco*, quatuor gradibus & triginta scrupulis ab Æquatore versus Arctum; exonerat autem se in sinum circiter tria milliaria latum (una cum amne *VVainari*) in ipso quidem ostio circiter milliare unum latum & pene duas orgyas altum, interius autem haud supra septem aut octo palmos, & superius adhuc lóge pauciores; ripæ illius juxta ostium sunt paludosæ, ad tria pene milliaria; & deinceps ita accedunt & à duobus terræ Angulis coarctantur, ut latitudo illius centum passus raro excedat: superius autem præcipitat se de Cataractæ in subjectas rupes, ita ut altius cymbis ascendi nequeat nisi forte mense Augusto; distant autem Cataractæ ab ostio circiter sedecim milliaria.

Paulum supra Cataractem, confluit in *VViapoco* amnis *Arwy*, cujus jam ante meminimus. Solum autem quod ripas hujus fluminis attingit, perfæcundum judicatur & Tabacci imprimis ferax, ita ut interdum ad novem & plures palmos assurgat: fac-
20 chari cannæ hic sponte nascuntur: uti & frutices quæ gossypium & tincturam illam ferunt, quam vulgo vocant *Orellanam*. Cervorum maxima hic reperitur copia, uti & suum: supra Cataractas quoque plurimæ vaccæ sylvestres, uti nostri vocant, à barbaris autem hoc animal appellatur *Moirè*, vaccis nostratibus haud dissimile nisi
Moire. quod cornubus careat: flumina denique valde sunt piscosa, imprimis nutriunt prægrandes *Manatos*.

Quidam tradunt hanc regionem juxta littora, cælo esse insalubri & valetudine incolarum infami; sed *Harcourtius* negat, haud vano argumento; nam quum anno cLo Iō CVIII, hic triginta suorum unâ cum Germano suo destituisset, qui hic triennium habitavit in pago, (qui à barbaris vocatur *Caripo*) ad ipsum sinum super edi-
30 tum & petrosum collem sito, difficilem admodum accessu, ob densa nemora & præruptas petras quibus pene undique cingitur: toto illo tempore tantum sex eorum defuncti fuerunt, idque variis infortuniis potius quam morbis. *Harcourtio* adstipulantur etiam nostri qui ante Anglos hic incoluerunt, & cælum potius salubre judicant, quia ægri aliunde advenientes hic quantocius convalescere sunt visi.

Barbari qui ripas hujus fluminis & vicinam continentem incolunt, ut plurimum sunt *Yayi* aut *Maroans*; utriusque satis urbani & hospitales: *Yayi* quidem juxta fluminis ostium & secus littora usque ad *Commaribo*; *Maroans* autem intra continentem usque ad Cataractem, atque etiam supra: pauci quoque hic degunt *Arvaeca* præsertim inter
VVaynarin & *Commaribo* super editum montem quem barbari vocant *Massoure*.

40 Omnes autem nudi agunt, licet à vestibus non abhorreant, quando suppetunt: piscatione imprimis delectantur, & in hunc finem adhibent ligni quoddam genus, quod ipsis dicitur *Ayauw*, gravis admodum odoris, ita ut aquis injectum pisces ita soporet, ut manibus se contingi & capi patiantur. Farris loco utuntur *Cassavi*; è quo & potum suum masticando conficiunt ad Brasiliensium modum, quem & large & ad ebrietatem usque solent haurire, familiari hisce nationibus vitio: potum hunc vocant *Pernou*, fit autem è cassavi prius tosto & fere adusto, dein masticato, & tum ebullito, denique per vimineum corbem percolato; ita ut clarum & limpidum, eodem pene cum cerevisia Lubecensi colore; verum paucis diebus servari potest. Mirum in modum hic infestantur à Niguis, nec minus à culicibus.

50 Narrat *Harcourtius* circiter tridui itinere supra Cataractas hujus fluminis, alios barbaros degere è natione *Caribum* (quos vocant *Maranshewaccas*), quibus grandissimæ & pene monstrosæ sint aures, si barbarorum relationibus tuto licet credere: qui & hoc addunt, barbaros illos idolum inter se habere, quod summopere venerantur, effigie viri calcibus suis innixi, genibus divaricatis, quibus brachia cubitis incumbunt, manibus elevatis, & palmis obversis, cæterum oculis ad cælum erectis, & ore patulo atque hiante.

Nostrates meminerunt & alterius nationis barbarorum, quos vocant *Nourakes*, qui circiter sexaginta milliaria supra fluminis *Wiapoco* ostium incolunt, qui plurimum gossypii colunt, & ex illo industrie texunt *Amackas* sive lectos penfiles, quos aliis barbaris indigentioribus vendunt; plurimam quoque colligunt *Orellanam*; hi barbari caelo fruuntur longe salubriori, quam ii qui juxta littora degunt. Inveniuntur in ipsorum provinciâ certæ gemmæ, quæ colore accedunt ad rubinos, quos vocamus *balaisios*.

C A P. VIII.

Plura de hoc flumine à nostratibus observata, & de vicinis aliquot minoribus amnibus, præsertim Apurwaka.

10

A Nostratibus, qui diligentissime flumen *Wiapoco* lustrarunt, accepi, in ostio illius deprehendi quatuordecim aut quindecim palmorum altitudinem; subeuntibus autem sinistram ripam aliquandiu radendam esse, donec flumen recta ascendat versus Austrum: tunc cursum recta tenendum versus editum solum: statimque veniri ad amnem qui ab occidente haud longe à continente in hunc descendit, neuriquam nisi uniligneis linitibus navigabilis: ad ripas autem illius accollere *Arvaccas* qui colendis agris dant operam, in tribus pagis. Porro ad utramque ripam plures præterea jacent pagi, & aliquot minores rivi inde exeunt.

20

Ab *Wiapoco* porro versus *Corum* labitur amnis *Winipoco* cymbarum tantum patiens: alii tantum ramulum majoris fluminis faciunt, quod magis videtur verisimile. Cujus ripæ accoluntur ab *Arvaccis*; plurimæ reperiuntur hîc tigres; & tanta culicum copia, ut neque noctu neque interdiu fere detur quiescere.

Ab ostio fluminis *Wiapoco* supra tres leucas versus *Corum*, imminet sinui mons, quem vulgo vocant *Gomeribo* vel *Commaribo*, cujus solum ab insigni fœcunditate imprimis commendatur à nostratibus, qui illum aliquando coluerunt: iidem testantur olim insulam fuisse, angusto freto à Continente divisam, nunc autem oblimato & ab arenis impleto alveo illo coaluisse cum Continente.

Inter extremum autem fluminis cornu & montem quem jam diximus, egreditur tenuis amnis *Wainary*; quem tamen alii negant esse amnem, quum nullos fontes habere videatur, & paucis tantum milliariis in Continentem penetret recta versus occidentem, ita ut unius diei itinere ad finem illius perveniatur.

A *Waynari* ordiuntur montium editorum juga, quæ sese extendunt versus Arctum & maximè versus *Corum*, procurrunque usque ad *Apurwakam*, de quo statim dicemus: horum autem montium clivi & convalles solo dicuntur esse fœcundo & feraci, ita ut Tabaccum longe optimum ferant, & arboribus quæ gossypium ferunt conferendis imprimis convenient.

A sinu *Viapocensi* versus *Corum*, atque à *Commaribo* circiter quinque milliariis, egreditur è Continente in Oceanum fluvius *Apurwaka*, qui ab aliis etiam *Caperwaca* appellatur; quem *Harcourtius* à frequentibus barbaris tradit accoli: verum *Laurentius Keymis* qui *Raleghum* in expeditionibus fuit comitatus, contra testatur, se hunc fluvium ingressum & circiter quadraginta milliariis subvectum, nullos barbaros hic invenisse, (quod minime mirum aut inusitatum in hisce partibus, nam barbari ita sœti sunt crebro sedes mutare, ut interdum plures, interdum rari, nonnunquam & nulli in eisdem locis reperiuntur) verum ad radices cujusdam montis, tantum ligni Brasiliæ cæcidisse, quantum cymba sua poterat deducere. Hic quoque reperiri copiam earum arborum, quarum cortices Canellam æmulentur, quales ad oras Freti Magallanici magno numero nasci supra indicavimus.

Secundum delineationem hujus fluvii, quam vidi satis accuratam, illum latum esse oportet, intra ostium quoque aliquot minores insulas complectitur; excipit præterea à dextera lævaque aliquot minores amnes atque torrentes; extimus illius angulus fertur distare ab Æquatore quatuor gradibus & quatuor supra viginti scrupulis, alveus autem primo ascendit versus Eurum, atque inde cubito se flectit versus Africum. Nostrates qui fluvium hunc adierunt anno MDLXXCVIII, testantur ostio illius injacere parvam insulam oblongam, quæ desinat in acutum angulum;

50

angulum; ad ripas denique illius in nemoribus reperiri ingentem numerum psittacorum & aliarum elegantissimarum avicularum: nec non maximam copiam pulcherrimarum simiarum.

Ab ostio hujus fluvii circiter sex milliariibus versus Arctum objacet Continenti insula quæ *Oncaiarie* vel etiam *Aocayari* appellatur; crebris tempestatibus & frequentibus nimbis supra modum obnoxia, præterquam solstitio hyberno, uti à pluribus invenio observatum.

C A P. IX.

10 *Annium Cauwo & VVia descriptio, cum adjacentibus provinciis.*

AB *Apurwaka* sequitur ad eandem oram, intervallo duorum milliarium, uti à nostratibus invenio observatum, fluvius *Cauwo* vel *Couma*; in ipso ostio inter duas & tres orgyas altus; interius tres quatuorve.

Laurentius Keymis Anglus scribit se hic anno cIo Io xcvi invenisse barbaros è natione *Tajorum*, qui paulo ante huc confugerant, pulsi ab Hispanis è *Moruga* & provinciis ad flumen *Oronoquen* sitis, quas *Arwacca* jam occupabant, vaga natio & Hispanis obnoxia. Nam *Tayoi* hi, ut ille narrat, plerasque oras ad oceanum possederant; sueti, ut ab aliis nationibus distinguerentur, faciem & reliquum corpus notis quibusdam
20 perfigurare; adhibentes ad id acutissimos dentes cujusdam animalculi, quod forma haud multum abludit à glire, quibus cuticulam dividebant, haud secus quam acu aut acicula: ita ut cicatrices nunquam evanescerent.

Nostrates qui has oras lustrarunt anno cIo Io xcvi, eosdem barbaros hic invenerunt. Verum *Harcourtius* qui aliquot annis post illos hic fuit, testatur se nullos hic barbaros reperisse.

Keymis accepit à barbaris ligni quoddam genus, quod Brasilianum opinabatur, *Vrapo*: barbari vocabant *Vrapo*, & referebant magna copia traduci ad Insulam Trinitatis, indeque peti à Gallis; verum nostrates negant hoc lignum recte Brasilianum appellari; sed reperiri hic aliam speciem rubri ligni, idque à barbaris appellari *Moura*, quod
30 à vero Brasiliano non multum differat.

Distat denique hic fluvius ab Æquatore quatuor gradibus & viginti scrupulis, & ascendit cubito flexus, versus Africum.

Duarum deinceps leucarum intervallo sequitur ad eandem oram fluvius *VVia*; quatuor gradibus & quadraginta scrupulis ab Æquatore versus Arctum; pulcherrimus annis, & longe penetrans intra continentem, amœnis ripis atque fœcundis, & lato ore sive æstuario instar sinus. *Wia*

Laurentius Keymis testatur ab hoc sinu versus Favonium, optimam stationem esse navibus, sub certis insulis, quæ hic continenti objacent; quarum maximam vocat *Gowateri*, & à barbaris *Shebais* habitata, atque apris aliisque feris, volucris, & omni genere comœtus abundare scribit, deniq; mare in ambitu egregie esse piscosum. Aperit præterea egregium portum, quatuor aut quinque orgyas altum, & plurium navium capacem longeque securissimum. Extimæ quoque tres versus occasum, trianguli formâ sitæ, à quo & nomen meruerunt, eisdem quoque animantibus, & comœtu abundant, præbentque satis commodam navibus stationem, verum cum præcedenti portu neutiquam comparanda. Observat denique in Continenti passim reperiri herbam quandam, quam barbari appellant *Wiapassam*, cujus radix sit acris instar zinziberis, & singulari virtute pollens, imprimis contra lyenteriam, & dolores capitis.

Insula quæ inter *Wiam* & *Caianam* media est, appellatur ab *Harcourtio* *Mattoory*
50 editissimo solo & circiter sedecim milliaria ambiens: alii vocant hanc insulam *Mayeri*, & juga montium quæ sinui, qui vergit versus *Wiam*, imminent *Moriori*; quæ vero pene in medio insulæ consurgunt *Matorni*, quod à priori insulæ nomine non multum differt. Invenio à nostratibus observatum insulam hanc incoli à natione *Caribum*, haud mala: passimque, potissimum tamen in campestribus sponte nasci arbusculas quasdam duos palmos altas, quæ fructus ferunt instar prunorum, colore purpureo, & sapore pene instar myrobalanorum.

Insulas

Insulas autem minores, quæ huic majori, versus ortum objacent, quarum paulo ante meminimus, alii vocant, orientaliorem quidem *Sannawom*; occidentaliorem autem *Spenesari*; binas autem quæ hisce objacent versus altum *Eponeregemera*; quæ barbara sunt nomina; nam Europæi, ut fere solent, in nominibus multum variant.

C A J A N E.

C A P. X.

Fluminis Cajanæ descriptio, & Continentis illi vicinæ, populorumque mores qui hic habitant.

10

POST *VViam* sequitur *Cajane*, circiter trium milliarium intervallo, celebris fluvius; distans ab *Æquatore* quatuor gradibus & quinquaginta scrupulis versus *Arctum*, prout à nostris invenio observatum. Notandum autem duos amnes hic per unum ostium in altum egredi, *VVackam* atque *Cajanam*; quorum ille oritur è vicinis montibus, & tantum septem aut circiter milliaria descendit; hic vero longe altius penetrat in *Continentem*. Ostium autem *Cajanes* satis latum est, & fere tres quatuorve orgyas altum; sed in adeundo summa cautione opus est, ob scopulos qui procul in alto objacent, præsertim unum, quem barbari vocant *Hocaiari*, nostrates *Constapel*, qui distat ab ostio tria quatuorve milliaria versus *Ortum*: & marinorum 20 fluctuum cursum, qui hic valide fertur versus occasum.

Harcourtius observat, flumen hoc subeuntibus ad dexteram jacere insulam, quam barbari vocent *Muccumbro*; ea concluditur ab ortu quidem à *Cajana*, ab occasu ab amne *Meccoria*, patetque in ambitu circiter sedecim milliaria, maxima sui parte plana & campestris; in medio autem illius consurgunt duo montes, quorum unus vocatur *Muccumbro*, alter autem *Cillicedemo*, à quorum fastigiis, amæna hæc regio, undique oculis lustratur: pauci hic visuntur luci, plures campi, in quibus magnus ferarum numerus vagatur.

Idem testatur, *Cayana* accolat, & qui hanc partem continentis habitant, natione *Caribes* esse, quorum præcipuus regulus dicebatur *Arravicary*, & juxta *Cillicedemum* montem incolebat, advenis & præsertim *Anglis* (ut inquit *Harcourtius*) valde 30 addictus & fidus: *Caribes* enim antiquissimi harum regionum incolæ creduntur, nam *Iajoi*, *Sappajoi*, *Arwacca*, atque *Paragoti*, aut ab *Insula Trinitatis* aut ex *Oronoqua* provinciis huc confugerunt, ab *Hispanis* pulsî, aut saltem eorum sævitiam metuentes; ita ut inter hosce & *Caribes* qui littora accolunt, haud satis bene, nisi forte in speciem conveniant & non raro inter se discordes, ad rixas & mutuas cædes prorumpant: nam inter *Caribes* qui interiorem continentem, & montana incolunt, & hosce barbaros perpetuum est bellum; sæpius enim descendunt è montanis ad littora, & miseros hosce opprimunt inopinantes, mactantque alios, & non paucos abripiunt in miseram servitutem: verumtamen postquam *Europæi* has oras adire & cum littoralibus 40 commercia habere cœperunt, nonnihil armorum ab his acceperunt, quorum usum leviter edocti, minus minusque jam montenses *Caribes* metuunt, atque adeo nonnumquam ultro ipsos aggrediuntur.

Porro intra continentem, in montana regione versus *Africum* plures aliæ degunt barbarorum nationes, quorum nomina (& mores) non satis hæctenus sunt cognita: quanquam pro regionum amplitudine admodum infrequentes sint incolæ; suctum enim plerisque barbaris, qui hanc continentem incolunt, sedes suas crebro mutare, nec fere, nisi perraro, easdem figere præterquam ad ripas fluminum, aut ad oram maris, quia piscatione imprimis delectantur, piscesque facillime parabilem victum, & maxime idoneum opinantur, natura enim desides & laborum intolerantes abhor- 50 rent à cultura agrorum, obviis contenti. Nulla pene ipsis *Reipublicæ* forma, nisi quod plerumque in singulis provinciis, atque adeo pagis, regulos sive, ut barbari vocant, *Casiques* habeant quibus parent quandiu libet: duo tantum crimina punire dicuntur homicidium, & adulterium per carnifices ad id destinatos. Plures sumunt sibi uxores, & de earum castitate summopere sunt solliciti; nam in adulterio deprehensis statim cõminuunt cerebrum sine ulla judicii forma. *Vxor*um multitudo hic inter decora æstimatur,

æstimatur, & singulare est opulentia argumentum: Nam, præsertim seniores, ministrant maritis, instar mancipiorum, omniaque domestica ministeria explent, viris interim otiosis aut genio indulgentibus. Verum quum jam pene ad centrum mediæ hujus partis pervenerimus, antequam ad reliquos fluvios describendos procedamus; de cœli solique qualitatibus, incolis, & plantis atque animalibus nonnulla dicemus.

C A P. XI.

De Cœli Solique qualitatibus; in hisce partibus Continentis; & de Incolarum ingeniis, moribus atque institutis.

10 **T**EMPESTATES anni in hoc clymate plurimum variant; nam in orientali Guianæ parte quæ vergit versus Flumen Amazonum, æstas inchoatur à mense Augusto, hyems à Februario: in occidentali autem parte & versus Orenoquen sumit æstas exordium ab Octobri, hyems ab Aprili: Quæ tempèstates, quod & alibi monuimus, tantum pluviis (unde barbari pluvias & hyemem uno nomine denotant) & siccitatibus; itemque gravissimis ventorum flatibus & malaciis distinguuntur: nam quum hæ regiones tam exiguo intervallo absint ab Æquatore, exiguam admodum caloris & frigoris patiuntur vicissitudinem: Neque tamen omnibus annis, æqualiter aut æque diu pluit; sed discrepant interdum uno atque altero mense, & pluviarum
20 copia aut mediocritate.

Solum quoq; plurimum differt: nam primò ad oram maris fere est humile, & nisi auræ pene perpetim interdiu ab oriente valide perflantes, æstus egregie temperarent, à mortalibus habitari neutiquam possent, nunc vero vel maxime à barbaris habitatur, ob fluminum quæ passim hic effluunt, opportunitatem, & telluris fœcunditatem, atque adeo cœli (paucis quibusdam locis exceptis quæ incolarum valetudine male audiunt) bonitatem atque salubritatem. Intra continentem plurimi visuntur montes, quorum quidam fœcundo solo culturam facile admittunt; alii penitus sunt asperi, sed variis metallorum venis scatere creduntur: in hisce montibus nonnihil algetur, nihilo tamen secius aër hic saluberrimus judicatur, quo fit ut plures barbari ibidem habitent.
30 Inter hæc extrema, veluti medium est, solum modicè editum, præcedentibus longe feracius, atque amœnius, nemoribus atque lucis, campis atque pratis grata varietate distinctum, adhæc pluribus amnibus & torrentibus riguum; cœloque imprimis salubri; neque metallorum in variis provinciis penitus inops. Cæterum duas pestes hic patiuntur indigenæ, culices ipsis *Mapiery*, & niguas, ipsis *Sico*: adversus priores tamen in promptu remedium est noctu luculentum focum in ædibus alere.

Barbari qui has oras accolunt, (quemadmodum à quodam nostrorum accepi, qui aliquandiu hic vixerat,) sunt septem nationum, quæ nonnihil à se invicem moribus, multum autem linguis differunt, *Mayi* nimirum, *Aricoury*, *Maraons*, *Caribes*, *Arwaccæ*, *Iajoi* & *Sapajoi*.

40 Omnes autem maximam partem, statura sunt mediocri, crinibus nigris, quos interdum ornatus gratia rubro colore inficiunt; oculis quoque nigris; auriculis, & naribus, atque inferioribus labiis perforatis; universum denique corpus inficiunt tinctura quadam, quam *Iajoi* atque *Shebajoi* vocant *Annoto*, *Caribes* autem *Coutsaude*: hanc tincturam à primis annis usurpant adversus æstum solis. Fœminæ insuper nonnullæ & præsertim adolescentulæ, pingunt cutem certis figuris, gummi quoddam nigrum ad id usurpantes, quod colori illi castaneo superinducunt.

Utrique tam mares quam fœminæ, ut plurimum nudi incedunt, nisi quod quidam utriusque sexus nonnumquam pudendas partes panniculo leviter velant, magis ornatus, quam honestatis causa aut pudoris. Fœminæ capillos vittis quibusdam subligant
50 supra verticem: pariunt facillime: & infantes suos circumgestant, lumbis suis insidentes, aut fascia subnixos: suntque ut plurimum breviori statura quam mares, præsertim in provinciis, quæ magnum flumen *Amazonum* contingunt.

Religio ipsis nulla est: Solem quidem & Lunam, quos animatos arbitrantur, venerantur, non tamen aut adorant, aut quicquam illis immolant, offeruntve; quantum hætenus à nostris potuit observari: carent omnibus ceremoniis, nisi forte in exsequiis defunctorum ullas adhibeant: nam in Regulis suis funerandis, symposia celebrant, &

ad extremam ebrietatem hauriunt, liquorem quem vocant *Parnoum*, tribus aut quatuor diebus; certis quibusdam foeminis interim mortuum plangentibus maximo ejulatu, non sine quibusdam superstitionibus, uti videtur.

Quemadmodum nullis Sacris operantur hi barbari, ita nullos quoque habent sacerdotes: sed tantum hariolos quosdam & fatidicos, quos ipsi vocant *Peeaios*, qui miseros miris fastigiis ludunt; persuadent enim se crebro cum daemone sermones serere, quem *Wattipam* nominant, & res gestas in longinquis regionibus ab ipso edoceri, nec non futuras praemoneri: agnoscunt autem hunc spiritum malum esse; neque injuria, nam haud raro miserum in modum ab ipso flagellantur.

Observatum quoque a nostratibus, aliquos barbaros, praesertim *Iaios*, pro numine venerari *Tamoucum*, ut vocant, quem in superiore aeris regione degere, & inferiora haec pro nutu gubernare profitentur, unde mane atque vesperi ipsum solent adorare: Sed hoc hisce barbaris peculiare videtur.

Credunt ut plurimum animarum immortalitatem, & vita functos, si bene vixerint ad caelum ferri, quod ipsi vocant *Caupo*: si vero improbe, ad inferos sive terrae viscera detrudi, quae nominant *Soy*. Itaque Regulis suis aut magnatibus decedentibus, mancipiorum ipsius unum, aut si nulla habeant, famulorum aliquem solent mactare, ne ministerio in altera vita destituantur.

Natura sunt timidi & valde suspicaces, neque minus vindictae cupidi, unde facile uti a nostris accepi, sibi ab hisce *Peeiais* patiuntur persuaderi, aliquo amicorum immature uti ipsis videtur defuncto, ipsi exitium ab hoc aut illo maturatum, unde gravia odia & non raro caedes & alia mala inter ipsos oriuntur.

C A P. XII.

De barbarorum horum idiomate, praesertim Yaiorum.

Y*Aiorum* gens uti latissime patet, ita & idioma ipsorum maxime commune est in illis partibus: itaque hujus potissimum specimen dabimus; & aliorum puta *Arwaccarum* & *Shebaiorum* aliquot vocabula adjungemus ut differentia aliquo modo percipiatur.

Pater Yais dicitur	<i>Pape</i>	Arwaccis	<i>Pilplii</i>	Shebayis	<i>Heja</i>
Mater	<i>Immer</i>		<i>Saeckee</i>		<i>Hamma</i>
Caput	<i>Boppe</i>		<i>Wasijehe</i>		<i>Wackewjrrij</i>
Auris	<i>Pannaëe</i>		<i>Wadycke</i>		<i>VVackenoely</i>
Oculus	<i>Voere</i>		<i>Wackosje</i>		<i>Noeyerii</i>
Nasus	<i>Hoernaly</i>		<i>Wassyerii</i>		<i>VVassibaly</i>
Os	<i>Hopataly</i>		<i>Dalerocke</i>		<i>Darrymaily</i>
Dentes	<i>Hoicelii</i>		<i>Darii</i>		<i>VVadacoely</i>
Crura	<i>Pollelii</i>		<i>Dadane</i>		<i>VVatabaye</i>
Pedes	<i>Poepe</i>		<i>Dackosje</i>		<i>VVackehyrry</i>
Arbor	<i>Wewe</i>		<i>Hada</i>		<i>Ataly</i>
Arcus	<i>Hoerappe</i>		<i>Semarape</i>		<i>Hoerapallii</i>
Sagittæ	<i>Mappoeroe</i>		<i>Symare</i>		<i>HeWerry</i>

Omnes hi barbari tempora distinguunt Lunis; Jaioi autem vocant Lunam *Nonna* vel *Noene*: Arwaccæ autem *Cattehee*; Shebaioi *Kyrtryrre*. Solem itidem vocant Jaioi *VVeoyo*; Ar: *Adaly*: She: *VVecoelije*, cujus nomine Jaioi etiam diem denotant.

Licet autem numeros fere digitis indicent, & quum decem volunt dicere utriusque manus digitos erigant, & quum viginti eosdem cum pedum digitis jungant; tamen & vocabula propria numerorum habent Jaioi (nam de cæteris mihi non constat) ut 1 *Tewyn*: 2 *Tage*: 3 *Terrewan*: 4 *Tagyne*: 5 *Mepatoen*: 6 *TeWynne Iecllyckene*: 7 *Tage Iecllyckene*: 8 *Terrewan Iecllyckene*: 9 *Tagyne Iecllyckene*: 10 *Iemerale mepatoen*: Deinceps prioribus quatuor numeris subjiciunt *abopene*; ut 11 *Tewyne abopene*: & ita porro: 15 autem *Habopbopene*: 20 *Pemoene*.

Quæ

Quæ sequuntur vocabula è *Iaiorum* lingua à nostratibus sunt observata.

Guttur	<i>Ieene</i>	Cœlum	<i>Capou</i>	Aper	<i>Pingo</i>
Collum	<i>Boppomery</i>	Stella	<i>Chirika</i>	Tigris	<i>Aroua</i>
Humerus	<i>Hoomotaly</i>	Aër & ventus	<i>Pepette</i>	Canis	<i>Pero</i>
Cor	<i>Hoppelabolle</i>	Pluvia	<i>Kenape</i>	Cuniculus	<i>Acouri</i>
Venter	<i>Holopotaly</i>	Tonitru	<i>Tonimerou</i>	Anser	<i>Rapone</i>
Pectus	<i>Pyelapo</i>	Terra	<i>Soye</i>	Ardea	<i>Ouakare</i>
Ubera	<i>Mannatii</i>	Mare	<i>Parona</i>	Pfittacus	<i>Courga</i>
Brachium	<i>Iapelly</i>	Ignis	<i>Ouapoto</i>	Cancer	<i>Coia</i>
10 Genua	<i>Goenaly</i>	Lapis	<i>Tapou</i>	Securis	<i>Oüoe</i>
Frater	<i>Huoroye</i>	Aurum	<i>Carecoury</i>	Culter	<i>Rapou</i>
Soror	<i>Waryee</i>	Arbor	<i>Veüe</i>	Ligo	<i>Masseta</i>
Filia	<i>Comi</i>	Cervus	<i>Oussari</i>	Remus	<i>Aguebuté</i>

Verborum quædam à nostratibus ex eorundem lingua observata.

Edere	<i>Ouaouinne</i>	Bibere	<i>Euenike</i>	Dormire	<i>Vniguené</i>
Venire	<i>Tase</i>	Plorare	<i>Ouamonu</i>	Cædere	<i>Pogue</i>

Plurima autem verbo componunt è nominibus adjecto sub finem nominis *Eri*, ut *Amaka-Eri* facere *Amakam* aut lectum pensilem, & similia.

20 Ita	<i>Iä & Iasay</i>	Bonus	<i>Coure</i>	Grandis	<i>Nomone</i>
Non	<i>Ouati</i>	Malus	<i>Icone</i>	Parvus	<i>Enchique</i>
Candidus	<i>Topouroume</i>	Niger	<i>Topiouroume</i>		

Atque hæc tam nomina quam verba à nostratibus inveni observata ex *Iayorum* idiomate.

C A P. XIII.

De annonâ barbarorum, animalibus, piscibus & Plantis.

30 **A**BUNDANT hæc regiones variis rebus ad victum necessariis; Pro farre ut plurimum usurpant *Cassaven*, quæ fit è certis radicibus, quas jam ante descripsimus; quas supra lapidem ad id comparatum comminuunt, & exprimunt liquorem, qui crudus noxius est & venenosus, verum coctus cum pipere Brasiliano, sive *Axi* perutilis & palato gratus: farinam autem cogunt in panes sive *liba*, & torrent super lapidem: panes hi pergrato sunt sapore, & pene instar eorum qui fiunt ex hordeo, sed meliores. Componunt itidem è *Cassavi* varias potiones; quarum aliam vocant *Passaun*, quæ quinque diebus servari potest; aliam *Parranoun*, quæ decem: quæ & generosa est & variis modis ab ipsis miscetur; optimè autem à *Iayis* & *Arduaccis*, quæ duæ nationes mundiciam maxime amant. Habent & *Mayzium*, de quo supra satis

40 multa jam diximus. Abundant præterea melle, quod licet sylvestre sit & è concavis arborum truncis & cavernis subterraneis eruatur, tamen longe optimum est, ita ut optima aqua mulla ex illo fiat. Vites quidem hic minimè reperiuntur, licet haud frustra judicent, earum haud impatiens esse solum, & si hic plantarentur, cœlum procul dubio uvas maturaturum, ita ut præstans vinum exprimi posset, quo hæc clymata imprimis opus habent.

Plurimæ reperiuntur hic feræ, venationi peropportuna: nimirum cervi; apri duorum generum, qui tamen fere mole distinguuntur; majores vocant *Pingo* vel *Panigo*, Europæis haudquaquam inferiores: minores *Pockiero*, qui umbelicum in dorso obtinent. Infinitus numerus leporum & cuniculorum, qui à nostratibus diversi esse dicuntur. Et vaccæ sylvestres quas vocant *Maypouri* vel *Maipuries*, (de quibus supra diximus) carne instar bovillæ, & quæ ad eundem modum muria condiri se patitur. Aliud animal quod vocant *Baremo*, carne instar ovillæ: variæ damarum species & ab Europæis non nihil diversæ; etiam aprorum quædam species, quæ lardo caret, & ipsis dicitur *Abihera*: & animantia illa quæ à pigritia nomen meruerunt, quia tardissime progrediuntur aut ad fastigia arborum subrepunt, ipsis *Waricarii*: infiniti Simii & Cercopithecii: & plures majorum atq; minorum quadrupedum species, quæ passim in

hac America Meridionali reperiuntur; etiam feroces & hominibus infestæ animantes, tigres, leones, pardi, lynces.

Avium quoque magna hic copia atque varietas, nam præter anseres atque anates quas hi barbari vocant *Raponne*; ardeasque quas vocant *Ovakare*; grues, ciconias, phasianas aves, perdices, columbas, merulas, ficedulas sive scolopaces, psittacos variorum generum & cornices elegantibus plumis; aliasque: reperiuntur hic quoque fere omnes illæ volucres, quas in Brasilia utraque descripsimus: aviculam autem illam monstruoso & grandi rostro vocant *Covakan*: psittacos *Courga*. Nec desunt hic plures aves quæ raptu vivunt, præsertim falcones variorum generum.

Covaka.

Piscium quoque maxima hic est varietas, tam marinorum quam fluviatilium; & quidem præter eos qui nostro quoque mari familiares sunt; piscem habent Salmoni nostrati non ab similem, præterquam quod carnes illius sunt crocei coloris, uti nostratium rubri.

c. 14.

Itemque quem superiori libro descripsimus sub nomine *Araovaova*, quem hi barbari vocant *Chipari*. Adhæc speciem *Raya* sive pastinacæ, cujus cauda osse semipedem longo armata est acutis denticulis utrimque aspera, quorum punctura imprimis noxia est; barbari hi vocant *Pakamen*; nos eundem supra descripsimus sub nomine

Pakame.

Cavimo.

Yaveboayre. Quibus nostrates addunt *Cavimo* piscem Afello majori mole pene parem, sine squamis, verum armatum sex acutissimis spinis, valde venenatis; in cerebro illius lapidem reperiri tradunt, admirabile remedium contra arenas & lapillos renum. Et

Accare.

Accaren crocodilis haud ab similem, sed magis gracilem, longioremque & rostro breviori atque obtusiore, victitat piscibus, egreditur tamen nonnunquam in terram: cibus idoneus, sed captu perdifficilis, licet grato odore, quem fundit, se prodat: minor

20

Ovvan-

na.

ejusdem species appellatur à barbaris *Ovanna*. *Aymaren* item instar grandis alose, qui in fluviis tantum capitur. Quos autem alibi vocant *Manatos*, hi barbari vocant *Cojumero*.

Cassoor-

vva.

Harcourtius addit hisce *Cassoorwan* rarum pisciculum, paulo majorem *Apua* cobite vel spiringo, sed multo meliorem: hic in singulis oculis duas habet acies, ita ut inter natandum alteram infra aquam, alteram supra teneat: dorsum habet planum cum spina, & costis rotundis, pene ad humanum modum. Denique fluviatiles pisces tam multi, & tam præstantes hic reperiuntur, (licet à nostratibus multum diversi) ut vix ulla regio in terris magis illis abundare possit. Testaceorum piscium hic quoque infinitus est numerus, maxime ostreorum.

30

Arbores fructiferæ, variæque plantæ & herbæ hic nascuntur passim, quas jam supra descripsimus; Pinnæ, Platani, Mespili, quarum fructus nostrates mole superant: pruni diversorum generum, sed fructus minus commendantur, quia crebrius commesti lyentieriam provocant, quæ in hisce partibus admodum periculosa est: Nuces variorum generum, & peregrinæ quoque formæ.

Licet autem tot fructibus abundet regio, tamen, (quemadmodum à nostris accepi) communiter vescuntur barbari, certis radicibus, quæ oblongis rapis valde sunt similes, ipsi vocant *Napi* & cancris sive astacis, quorum magna copia in riguis campis atque ad oram maris reperitur, quos barbari suo idiomate vocant *Coa*.

40

C A P. XIV.

De aliis quibusdam plantis, resinis, & lignis, quæ commercii apta sunt, & singularem habent usum in Medicina.

INTER præstantissimas plantas, quæ sponte hic nascuntur, merito primum locum sibi flagitant cannæ sacchari, è quarum cultura ingens quæstus posset fieri, si hic machinæ ad cannas molendas comparatæ excitarentur, quemadmodum à Portugallis in Brasilia videmus factum, ad quas quidem initio magnis expensis opus est, quæ deinceps maximo quæstu refunduntur.

50

Proximum locum merentur arbusculæ quæ gossypium ferunt, quæ & frequentissimæ hic sunt, & facile admodum coluntur & propagantur, & intra annum ex quo satæ sunt uberes fructus reddunt. Barbari autem noverunt illud in fila ducere & ex illis lectulos suos pensiles contèxere, magni in hisce partibus usus.

Nascitur hic quoque infinita pene copia cannabis sive lini quædam species, admodum

dum

dum elegans & tenuis, ita ut byssum æmuletur; è cuius filis varii panni texti possunt, uti experientia est comprobatum.

Præterea varii hic nascuntur fructus, qui tincturas edunt supra modum elegantes, quarum usum & barbari noverunt; qualis est *Annoto*, quam alii vocant *Orellanam*, quâ lanæ & præsertim byssus, colore inficiuntur aurantio. Habent & alium acinum, qui cyaneum colorem edit. Necnon gummi quoddam, quod à certa arbore funditur, quod pannos eleganti & pertinaci colore flavo tingit. Atque frondes cujusdam arboris, quæ bene præparatæ, colorem obscure rubentem fundunt.

Præterea lignum quod elegantem colorem purpureum edit; ut & alterum quod
10 croceum: tertium denique cujus liquor excoctus, fervens quidem purpureo tingit colore, frigidus autem coccineo. Nec dubium est diligenti inquisitione & alia ejusmodi ligna hic posse reperiri, quæ magno usui sint futura.

Gummi & resinæ bene olentes & magni in medicina usus hic reperiuntur plures, inter quas celebrantur ab *Harcourtio Colliman* sive *Carriman*, & *Baratta*.

Colliman, ut inquit ille, resina est nigricans & resplendens, instar picis duræ, quæ
20 prunis imposita gratissimum fundit odorem: *Waltherus Caryus Buckinghamius*, vir exacti de simplicibus quæ in medicina usurpantur judicii, testatur fumum hujus ter quaterve quotidie naribus haustum egregiè mederi gravedini capitis, & cerebro humido frigidoque plurimum prodesse, & rheumata sistere: adhæc efficacissimum esse remedium adversus paralytin, cujus capitis gravedo & somnolentia prognosticon solet judicari. Medetur quoque doloribus, quos fœminæ quæ crebro pepererunt, patiuntur juxta lumbos, & inferiore dorsi parte, si liquefactum illinatur pelliculæ, & calidum applicetur parti affectæ, instar cerati. Creditur & nervos corroborare; & levamen adferre illis qui arthritidis doloribus torquentur; denique & recentia vulnera egregiè consolidare.

Baratta itidem prunis imposita egregium fundit odorem; estque balsamum præstantissimum, & adversus recentia vulnera imprimis efficax, uti experientia à multis est comprobatum. Reperiuntur & plures hic resinæ, quæ gratum odorem fundunt; & præsertim una quæ odorem spargit instar *Majoranæ* nobilis.

30 Nascitur hic passim præsertim juxta littora, arbuscula sive frutex, cujus jam ante aliquoties meminimus, ferens fructum (ut inquit *Harcourtius*) instar viridis pomi, & quidem minuti, pollens somnifera qualitate, ita vehementi, ut vel particula quævis exigua imprudenter usurpata lethalem somnum inducat; & vel una gutta illius liquoris hausta tam valide deiciat alvum, ut observatum sit sexaginta sedes non sine extremo discrimine operatam: Putatur tamen, si maligna illius qualitas à medicis corrigatur, caute in medicina posse usurpari.

Acinus qui barbaris dicitur *Kellete* utiliter adhibetur contra dysenteriam. Succus autem herbæ quam vocant *Vppee*, adversus vulnera à venenatis sagittis inflicta. Denique succus foliorum quæ *Icari* nominantur adversus dolores capitis. Pluraque simplicia, quæ peropportune ad medicinæ & Chirurgiæ usum possent traduci.

40 Nascitur præterea hic arbor, quam barbari maximi faciunt, & plerumque juxta domicilia sua colunt, ob insignem in piscatione usum: solent enim in recessibus & elycibus, postquam ætus maris implevit, & copiam piscium adduxit, è cymbis suis, ramulos hujus arboris, prius nonnihil fractos, manibus terere inter undas, ita ut succus corticis se diffundat; pisces autem illo succo ita soporantur, ut statim supernant, & manibus capiantur.

Huic accedit arbor quæ materiem fert quantivis pretii, barbari vocant *Pira Timinere*, nostrates vulgo *Letter-hout*; est enim valde solidum, durum & grave, colore rosso elegantibus notis subnigris grata varietate distinctum, & insignis ad fabrilis opera usus: Arbor est procera & recta, glabro cortice, frondes tantummodo ferens in fastigio trunci, quæ ad pyri folia quam proxime accedunt.

50 Gemmarum quoque copiam plurimis locis reperiri volunt, ut Iaspidis, Porphyrii, & illius quam summopere commendant adversus Nephritidem. Nec metallorum etiam præstantiorum effata creditur tellus, licet hætenus nullæ auri aut argenti venæ hic apertæ fuerint; quamvis studiose à multis quæsitæ.

Aliorum fluviorum qui ex eadem ora in Oceanum exeunt & imprimis Marwinis, descriptio.

REVERTIMUR jam ad Continentis descriptionem. Post *Cajanam* de qua jam diximus, sequitur ad eandem oram, tenuis amnis *Meccooria*, vel ut alii vocant *Macuria*, de quo nihil singulare accepimus, est enim parvi momenti. Et post hanc *Courwo*, ut *Harcourtius* vocat, aut *Cawvroora* ut nostrates, octo miliaribus à *Cajana* versus occidentem, ut à quibusdam nostrorum invenio observatum: angusto quidem ostio sed satis alto, ita ut portum haud inidoneum aperiat: objacent autem illius ostio tres insulæ: Solum ad ripas fluminis limosum est, producens maximam copiam cannarum, quæ Sacchari quidem cannis videntur similes, verumtamen ita sunt venenosæ, ut linguam supra modum inflent, & loquendi facultatem impediunt, quare monendi sunt hic forte appellentes, ut sibi ab illis caveant.

Sequitur deinceps fluvius *Manmanurii* novem miliaribus à *Cajana* versus Corum; ab hujus ostio versus Arctum tres illas insulas Continenti objacere tradunt nostrates: qui & ab hoc ad tenuem amnem *Icarowary* duo numerant miliaria; & porro ad *Synnamaryn* quinq; aut sex: à quo ad *Amonam* vel *Amanam* designant quindecim miliaria.

Harcourtius nominat post *Cawroram*, *Manmanuryn*, *Sinnamaram*, *Oorassowinin*, *Coonannoniam*, *Vracco* & *Amannam*: *Laurentius* autem *Keymis*; *Cunanammam*, *Vracco*, *Mawarin*, & *Mawarparo*: alii adhuc alia nomina prodiderunt, quæ hic prætermittimus.

Ab *Amana* ad *Marmynen* numerant nostrates duo miliaria: qui fluvius distat ab Æquatore quinque gradibus & quinque supra quadraginta scrupulis versus Arctum: Insignis fluvius, & supra milliare germanicum in ostio latus, & satis altus; verum observantur quædam vada, quibus superatis intra ostium & præsertim ad latus subeuntibus sinistrum septem & octo orgyarum altitudo deprehenditur; quæ pertendit usque ad tres parvas insulas, supra enim has jam minus atque minus altus deprehenditur: Hæ insulæ appellantur à barbaris *Curemapory*, non coluntur tamen, quia quum pluviiis mensibus fluvius intumescit, inundari solent: Descendunt in hunc ab utraque plaga minores aliquot amnes & imprimis duobus miliaribus supra ostium tenuis amnis *Cussewini*.

Narrat *Harcourtius* se hunc fluvium ascendisse anno 1650, & superatis illis insulis adiisse pagum *Moyemon* ad sinistram ripam situm, & à *Paragotis* habitatum, quorum regulus vocabatur *Maperitaka* vir bonus & advenis fidus, postero die ascendisse pagum *Crenynay* ad dextram ripam situm, & à *Caribibus* habitatum, quorum regulus dicebatur *Minapa*, & duabus cymbis uniligneis ab ipso acceptis provectum secus plures utrimque pagos usque ad viginti leucas ab ostio, offendisse plures rupes, quibus undæ cum magna violentia ruebant, ita ut cum summa difficultate porro ascenderent, & quo altius proveherentur, eo plures Cataractas invenisse; superato autem primo monte quem barbari vocant *Sapporow*, è longinquo prospexisse longe editiores montes quos barbari appellabant *Matawere Moupamana*, & quum jam sex dierum itinere & circiter quadraginta leucas ab ostio ascendissent, tot rupes & tantos Cataractas offendisse, ut altius subire neutiquam valerent. Testatur autem se hic vidisse plantam illam, cujus alibi meminimus, quæ rosarum plantis haud dissimilis, sentiendi facultate videtur prædita: nam si folium vel leviter digito contingas statim se contrahit, & si forcipe amputes, tota planta veluti marcescere videtur, & vix post dimidiam horam rursus folia sua explicat.

Idem narrat cognatum suum *Fisherum* cum aliquot comitibus & barbaro *Maperitaka*, aquis fluvii auctis, novem dierum itinere eundem ascendisse, & circiter centum leucis ab ostio adiisse pagum *Taupuramunen* à *Caribibus* habitatum: à quo ad *Moreshego* alterum pagum ab eadem gente habitatum quattridui iter est: atque ibidem accepit à barbaris sex dierum itinere supra *Moreshego*, plures barbaros incolere, longè majore statura & robore quam cæteri barbari, qui auriculas, nares & inferius labium perfo-

perforant, & validis atque ingentibus utuntur arcubus: hic autem ab dextra lævaque plures amnes in *Marwynen* confluere, *Arrenneen*, *Toppanawin*, *Errewin*, *Cowommam*, *Pooraketten*, *Arrovam*, *Arretowenen*, *Waounen*, *Anapen*, *Aunimen* & *Carapion*. Denique à *Taupuramune* ad fontes fluminis *Marwyni* viginti dierum iter superesse.

Accepi autem à nostratibus qui superioribus annis fluvium hunc lustrarunt, quinque nationes barbarorum ripas illius accolere: nimirum paulum supra ostium *Percottas*, *Arwaccas* & *Shebaïos*: & supra hos *Caribes*, populosam nationem, ferocem & cui parum est fidendum; mares sunt procero & obeso corpore, capillis in orbem detonsis, instar coronæ sacerdotalis, & cutem rubro colore tincti, velant pudenda panniculo quodam unum palmum lato & duos longo, cætera nudi: fæminæ autem pusillo sunt corpore, subligant capillos fasciis quibusdam, prorsus nudæ: communis illorum victus est cassavi, & piper Brasilianum & cancri: potus è cassavi masticato valde spissus, quem vocant *Wocke*; parent regulis, quos è fortissimis eligunt, vocantque *Puwe*, id est Patres: denique supra hos degunt *Tayoi*, quorum mores à *Caribibus* haud multum diversi sunt, nisi quod humaniores sint & tuto ipsis fidi possit; his conjuncti sunt *Sappayoi*, eisdem moribus sed lingua diversa. *Arwacca* quoque & *Parcotta*, ut plurimum conjunctim habitant: quorum illi ebrietati supra modum sunt dediti, cætera natio haud mala; tam mares quam fæminæ agunt prorsus nudi: Fæminæ autem facillime enituntur fætus suos: si autem interdum accidat difficilius parturire, infantem ut plurimum necant patres; quemadmodum & si claudus aut aliquo membro mutilus ipsis nascatur; aut si uxor fæmellam pariat quum vir marem unice cupivit: denique si fæmina geminos pariat, quod tamen rarissime hic fit, etiam ipsa periclitatur ne à conjugè cædatur, ea est barbaries harum nationum.

Amana fluvii accolæ omnes sunt *Caribes*, uti à nostratibus accepi.

Solum juxta ostium *Marwinis* est humile, & tellus rubicunda, haud admodum fœcunda: sex aut septem milliariibus intra ostium attollit se solum in modicos colles itidem rubra tellure & haud satis feraci: plures hic reperiuntur Sacchari cannæ, sed incultæ; plurimæ arbores quæ gossypium ferunt, sed ea est gentis segnities, ut illud negligent colligere. Nascitur denique optimum lignum, quod à nostratibus *Letterhout* diximus appellari. Pluvii menses hic initium sumunt à Calendis Decembribus, mensibus autem Januario, Febuario & Martio pene continuo hic pluit; atque hac potissimum tempestate lignum hoc deducendum est, quod vilissimo pretio à barbaris comparatur, puta nonaginta & interdum supra centum libræ pro una securi; pro cultello autem viginti & interdum triginta.

C A P. XVI.

Aliorum aliquot fluviorum qui ex Continente egrediuntur descriptio, videlicet Sarnames, Sorames, Corretines, Berbices, Demararis.

40 **P**OST *Marwinen* sequitur ad eandem oram, octodecim milliarium (uti à nostris invenio observatum) intervallo, fluvius *Sarname*, vel ut alii vocant *Semyano*: Sarname distat ab Æquatore sex gradibus versus Arctum, insignis fluvius, ostio satis angusto sed admodum alto; circiter tribus milliariibus intra ostium, descendit in illum ab Euro alius amnis qui à barbaris appellatur *Ikouteca*, à cujus confluenta, fluvius principalis tortuoso alveo porro ascendit usque ad pagum *Noyeben*, cujus incolæ sunt *Caribes* & *Sapaioi*, distat autem ab ostio fluvii circiter duodecim leucas. Studiosè autem cavendum est ab hisce populis, sunt enim infidi & crudeles, multorum Christianorum cædibus infames. Hic quoque magna copia illius ligni reperitur, de quo supra, sed minus laudati.

50 *Icotecam* autem subeuntibus viginti aut viginti quinque leucas, ad tenuem rivum quem barbari vocant *Corewinnen*, ejusmodi lignum multo laudatius reperitur; verum provide cavendum à barbaris, qui & *Caribes* sunt & nostratibus supra modum infesti: odium hoc meruisse nostros memorant superioribus annis, impudicitia sua & libidine, qua factum fuerit, ut plures barbarorum conjuges adulterio polluerent, quod barbari ægerrime patiuntur.

A *Sarname* ad *Soramem* numerant nostri duodecim milliaria; hic fluvius circiter

dimidiam leucam in ostio est latus, sed quia vadum objacet, à navibus adiri nequit; accolæ sunt *Caribes*, qui ligno illo abundant, atque gossypio.

Coreti-
ne.

A *Sorame* ad *Coretinen* sunt duodecim aut tredecim milliaria: hic fluvius tantum est modicus, lato quidem ore, sed minus profundo, cui parva insula injacet; distat ab Æquatore sex gradibus versus Arctum; ejus accolæ sunt *Caribes*. *Thomas Mashamus* Anglus, qui studiose illum lustravit, comparat cum *Marwine*; scribit ab ostio illius ad primum cataractem circiter quinquaginta esse milliaria, confluereque in illum *Manonem*, *Tapueron* & *Tabuebain* amnes: ripisque illius adjacere sex barbarorum pagos, *Warrawallen*, *Maðranamen*, *Maapueren*, *Maccharibin*, *Yohoron* & *Vaperon*.

Berbice.

Sequitur deinceps decem leucarum intervallo *Berbice*, aliis *Berbiu*, mediocris amnis, distans ab Æquatore sex gradibus & triginta scrupulis versus Arctum: ostium illius circiter quartam leucæ partem est latum, & circiter duas orgyas & nonnullam tredecim palmos altum, interius aliquanto altius, sed majoribus navigiis minime opportunum. Hic amnis quinquaginta aut sexaginta milliariibus ab ostio intra Continentem descendit à Cataracte, præcipitatque se magno murmure in subjectas rupes: dilabitur autem tortuoso alveo; intra ostium ad utramque ripam, humile habet solum & denso nemore obsitum, ubi viginti aut viginti quinque milliaria ascenderis, aliquanto altius est, sed arenosum & effœtum, sternens se in patentes campos, quos vulgo vocant *Sabanas*, arboribus nutriendis ineptos, & nec satis idoneos, quare barbari plurimum laborant ut solum inveniant *Cassaves* radicibus conferendis aptum: Barbari autem qui hic degunt sunt *Arwaccæ*, haud inhumana natio & advenis fida: plures quidem hic reperiuntur feræ, cervi, apri utriusque generis, verum difficulter capiuntur, quia se in sylvis & paludosis locis occultant; & barbari quibus continuum bellum est cum *Caribibus* qui *Coretinen* accolunt, vix audet sylvas illas ingredi, ne ab hostibus ex insidiis capiantur aut trucidentur. Solum hic tantum producit arbusculas quæ gossypium ferunt, atque etiam quæ tincturam illam quam vocant *Orellanam*; reliquæ arbores fere sunt sylvestres & nullius pretii. Nostrates jam ab aliquot annis hic egerunt inter barbaros, & coloniam huc deduxerunt: Præter *Niguas*, quibus infestantur, aliud hic incommodum patiuntur vulgo, pruriginem ad talos & pedes ita ut ferri vix possit, & si vel tantillum scabas, magnum discrimen incurritur & non raro aliquot mensibus claudicant.

Demara-
ri.

A *Berbice* ad *Demararin* numerant nostrates undecim milliaria versus Corum; distat hic fluvius ab Æquatore septem gradibus: ostio satis est alto, ita ut majoribus navigiis adiri possit; sed barbari procul ab ostio degunt intra continentem, & perdifficile est commercia cum illis exercere.

E S S E Q U E B E.

C A P. XVII.

Essequebes fluvii & aliquot vicinorum descriptio.

POST *Demararin* sequitur ad eandem oram, quatuor milliarium intervallo, *Essequebe* vel *Dessekebe*, nobilissimus fluvius, & latissimo quidem ostio, sed tot vadis impedito, ut hic provido & perito gubernatore opus sit; injacent præterea vasto illius æstuario tres oblongæ & satis grandes insulæ, quæ fluvium hic in totidem canales dividunt: Solent autem ut plurimum orientalem alveum subire; superius jacent adhuc plures insulæ, sed minores.

Laurentius Keymis narrat à barbaris se accepisse, viginti dierum itinere ab ostio, fluvium hunc oriri, & tantum unius diei itinere inde abesse magnum & famosum lacum, quem *Iayoi* quidem *Roponowinin*, *Caribes Parimen* appellant; vastum instar maris; ad cujus ripas *Manoam* urbem conditam volunt; quam multi Hispani atque Angli jam diu frustra investigarunt. Quemadmodum à quodam nostrorum accepi, supra primum hujus fluvii cataractem, (habet enim plures, ita ut ad fontes usque neutiquam ascendi possit) inveniunt barbari crystallum valde durum & pellucidum.

Ad ripas fluvii habitant primo *Arwaccæ*, (humanioribus moribus, & Hispanis infensi,) in variis pagis, & in singulis domiciliis, quatuor quinqueve familiæ, sedulam dant operam arboribus illis colendis, è quarum fructibus tinctura illa fit, cujus jam sæpius memini,

memini, quam hinc imprimis laudatam nostrates solent petere. Viri supra modum ebrietati sunt addicti; utrique autem tam mares quam fœminæ prorsus nudi agunt; præterquam quod mares pudenda exiguo panniculo obvelant, magis ornatus quam honestatis causa, mares quidem capillos in orbem detondent, fœminæ autem promittunt: quæ & hoc peculiare habent à juventute, crura infra genua & supra talos tam arcte fasciis, quas industrie norunt circumtexere, ita constringere, ut suræ illarum in summam crassitiem excrescant, quod valde formosum & decorum putant: dæmonem tantummodo venerantur, non quod malum esse ignorent, sed ne illis malum duat.

10 Supra hos incolunt alii barbari, quos vocant *Vaccewayos*; qui ab *Arwaccis* tantum idiomate differunt; jure bellum gerunt cum *Caribibus*; abhorrent quoque à Christianis; in ipsorum provinciis reperitur eadem illa tinctura; ad hæc maxima ligni illius ut ita dicam litterati copia.

Caribes denique degunt supra Cataractas & pene ad fluvii fontes, ita ut difficulter ad ipsos penetrari possit, nisi aliorum barbarorum ope; degunt in pagis, singulæ familiæ in singulis ædibus, in medio autem pagi habent domicilium paulo majus, sed undique apertum, in quo hospites suos accipiunt, peregrino quodam modo: nam advenientem introducunt reguli, nec tamen alloquuntur, porrigunt dein ipsi sedile & tabaccum, atque ita aliquandiu relinquunt solum donec quieverit & absolverit ta-

20 baccum haurire; tum demum accedit regulus; & quærit an venerit, & illo annuente, confidet juxta & ferit varios cum ipso sermones: accedunt deinceps alii è promiscua turba, ad eundem modum quærentes, & inter se garrientes ad aliquot interdum horas. Hi barbari valde sunt sobrii, licet feris abundet regio; victus eorum communis est Cassave, jusculum piperatum, terrestres cancri, & interdum pisces: incedunt prorsus nudi: erga advenas valde inurbani & arrogantes: fœminæ in peccendis capillis admodum sunt diligentes, id imprimis decorum arbitrantur, ducuntur autem ab uno plures, & non raro postquam displicuerunt, ab iis mancipio traduntur. Patiuntur quidvis à Pyais suis sibi persuaderi; & ubi quis defungitur, solent agnati illius quærere quare decesserit, si autem hariolus alicui infensus respondeat, hujus aut

30 illius causa, nunquam quiescent agnati illi antequam designatum è medio sustulerint. In sepeliendis mortuis maximos edunt planctus; operiunt cadaver terrâ & ubi jam à putredine caro universa consumpta fuerit, ossa exhument, & festo atque choreis celebratis recondunt ossa denuo; & totum pagum abolent flammis, aliò commigrantes, ne & ipsi, ut ajunt, defungantur.

Solum ad ripas hujus fluvii paulum supra ostium humile est & in plures insulas divisum; sed ubi septem aut octo leucas ascenderit, altius esse incipit & maxima parte fœcundum. Superius autem dispescit se fluvius in tres veluti ramos, qui à diversis plagis descendunt, & fœcundissimum solum permeant. Plurimum hic & optimum reperitur lignum litteratum; sed non sine magno labore & impensa devehì potest

40 ad naves.

Sequuntur deinde ad eandem oram adhuc aliquot amnes *Caopici*, *Pawrooma* & *Moruga* (quem nostrates vocant *Ammegoren*) cujus accolæ, Hispani è *Margarita* & *Caraccis* advecti, anno 1610 ope *Arwaccarum* ex avitis sedibus pepulerunt. Sed mox de his plura dicentur.

P A R S T E R T I A.

O R E N O Q U E.

C A P. XIX.

50 *Descriptio fluminis Orenoques in communi secundum ea quæ ab Hispanis sunt prodita.*

PERVENIMUS jam ad nobilissimum flumen, quod pene omnes Europæi jam vulgo vocant *Orenoquen*: de quo Hispani juxta atque Angli, mirabilia prodiderunt; constanti jam diu fama, per istud iter patere ad auriferam *Guatanam*,
five

five *Dorado*; atque tantopere decantatam & anxie quaesitam civitatem *Manoam*: quæ ex vero nomen sortita videtur; plures enim vana auri spe allecti, difficillima itinera susceperunt, ut hanc civitatem & auream provinciam invenirent: potissimum autem per hoc flumen, quia credebant & Peruviam propinquius esse, & ab *Orellana* enavigatum, unde & nomen illius non raro illi attribuunt. Vt autem commodius fluminis & regionum adjacentium situm explicemus, ab expeditionibus Hispanorum (uti & alibi fecimus) ordiemur, quas variis temporibus & diversis occasionibus instituerunt. Videtur quidem Christophorus Columbus tertia sua expeditione Anno c15 cccc. xcvi haud procul ab ostiis hujus fluminis abfuisse, nam quum Insulam quam hodieque vocant *la Trinidad* invenisset & superato Orientali illius promontorio, ingressus esset in fretum, quod illam à continenti dirimit, visa eminens Paria, per angustias, quas vocant *la Boca del Drago*, ad *Margaritam* penetrasset, flumen hoc præterit: neque dubium est Americum Vespucium, qui Anno c15 cccc. xcix has oras usque ad promontorium *de la Vela* lustravit, idem fuisse prætervectum: & post illum Anno c15 l5 *Pinzonum*; nullus tamen Hispanorum hoc flumen adiit aut lustravit ante *Didacum de Ordas*, qui demum Anno c15 l5 xxxi ab Imperatore & Hispaniarum Rege Carolo, amplissimum impetravit diploma, quo ipsi soli permittebatur continentem Americæ Meridionalis, à Promontorio *de la Vela*, ducentis leucis versus ortum, lustrare, colonias deducere, & provincias illas Præfectura complecti. Is itaque rebus omnibus necessariis mature paratis, & quadringentis militibus cum idoneo belli apparatu & annona in naves impositis, continentem adnavigavit haud longe à *Marannon*, ibidemque haud opinantes in cymba uniligna interceptit quatuor barbaros, penes quos invenit duas gemmas instar Smaragdorum, quarum una pugni molem superabat: quas magna copia intra fluvium profitebantur reperiri; ad hæc circiter xl leucis intra continentem ad fluminis ripas jacere editum montem, infinitis arboribus consitum quæ thus ferrent: Quibus permotus ille unice desiderabat dictum flumen lustrare: verum à vadis propius accedere prohibitus & una navium cum exitio multorum ad scopulos fracta, atque à valido undarum lapsu versus occasum, præter ostium illius raptus, oras illius continentis porro strinxit usque ad *Pariam*. Hic appellens deprehendit, præfectum Insulæ Trinitatis Antonium Sedennum hic jam arcem struxisse in provincia *Reguli Yuripari*, & idoneo præsidio custodiendam dedisse Legato suo *Ioanni Gonzales*: nihilo tamen secius hic exscendens & arcem cepit & suis militibus attribuit; illique præfecit *Martinum Ioannes Tafur*; caufatus Sedennum & limites præfecturæ egressum, & contra edictum Hispaniarum Regis indigenas illius regionis mancipio cepisse & alio abduxisse in miseram servitutem. Post illa flumen lustrare aggressus, maximam annonæ inopiam est passus, donec ventum fuit ad municipium *Reguli Viapari*, de cuius nomine, ut plurimum hoc flumen, superiori seculo, agnominabatur. Hic per amice à Regulo acceptus, locum hibernis cepit, multum refragantibus illius militibus, qui ulterius procedere maluissent, & magis intra continentem oppidum moliri. Hibernis autem exactis, flumen ascendere cœpit, verum principali ipsius navi ad rupem quandam fracta, ducentos pedites & quadraginta equites exposuit in terram; & deinceps terrestri itinere processit secus ripam fluminis; plurimis diebus nulli mortales ipsis visi præter paucos barbaros qui piscibus victitabant, cæterum rudes & omnium rerum inopes, è natione *Caribon*: non enim audebat longe à ripa discedere propter suorum paucitatem. Ad hunc modum quinquaginta dies progressus cum summo labore & com meatuum inopia offendit alterum flumen, quod in hoc confluebat: licet autem barbarus è natione *Arwacca*, qui hætenus illi iter monstraverat, suaderet relicto majori alveo, alterum hoc flumen ascendere, futurum spondens, ut post aliquot dierum iter opulentas gentes & vestibus utentes reperiret; nequaquam assensit, sed majorem alveum est secutus, donec ad Cataractas ventum fuit, de quibus undæ magno impetu se præcipitabant in subjectas rupes, ita ut naves ulterius ascendere ne utiquam possent: Quare voti irritus iter flexit, & paucis diebus ad suos remeavit. Proposuit deinde ad fretum quod vocant *Cariaco* navigare, & ibidem oppido condendo locum capere: verum ab adversa tempestate ad Cubaguan rejectus, hic à militibus suis fuit disertus; quare animo æger Hispaniolam petiit, atq; inde Hispanias, & paulo post decessit, in Hispania, an vero in ipso itinere, incertum est. Atque ad hunc modum

Her. d.
l. 10. c. 10.

d. 5. l. 1.
c. 11.

dum habuit se prima Hispanorum expeditio in hoc flumine *Yuapari*, ut tum audiebat: de qua plurimas fabulas sibi persuaderi passus est Ralegus ab Hispanis, quæ nullo idoneo authore confirmantur. Superiora autem ab *Herrera* Historiographo Regio accepimus.

C A P. XX.

Narratio eorum quæ porro ab Hispanis in hoc flumine lustrando fuerunt gesta, & imprimis ab Ortalio.

10 **P**OST *Didaci de Ordas* obitum, *Paria* præfectura ab Imperatore attributa fuit Hieronymo *de Ortal* anno cLo Io xxxiii: qui ad arcem illam appellens, Legatum suum instituit *Alfonsum de Herrera*; illumque cum ducentis militibus & quinque celocibus ablegavit ad flumen *Yujapari* penitus lustrandum. Hic flumen subiens pervenit primò ad *Caroam*, locum jam ante notum, ubi aliquandiu substitit; missis interim aliquot suorum, ut interiorem continentem lustrarent; qui quum nullos mortales invenissent & annona destituerentur, ad naves redierunt; promovit deinde ad fluvium *Carinacam*.

Ortalius interea ad *Cubaguam* profectus, ut suos, qui ab adversa tempestate eo re-
jecti fuerant, requireret; & variis modis retardatus, consilium mutavit animumque
20 adjecit ad aliam expeditionem, ut suo loco explicabimus.

Herrera autem quum videret ad dexteram *Carinaca* fluvii ripam multos barbaros habitare, exponit copias suas, & post anceps certamen profligat barbaros, plurimosque illorum capit: nonnihil annonæ hic inventum, quo famem profligarunt. Ascendit deinde alveum fluvii *Caxavana*, qui per solitudines labitur, ita ut milites præ annonæ inopia deficerent; nec ullos mortales hic obvios habuit, præter paucos *Caribas*, qui cum pyraguis suis descendebant; quos cum aliqua suorum clade cæcidit aut cepit: atque hic è captivis hisce didicit *Gujanam* jam post tergum ab ipso relictam, ante autem ipsum jacere amplissimam regionem *Metam*, cujus incolæ & vestibus uterentur, & maximis opibus abundarent. Monstrarunt deinceps hi barbari ipsi iter ad *Caburutum*.

30 Operæpretium fuerit *Antonii Herrera* judicium hic audire: multi (inquit) hodieque credunt, fluvium qui *Metam* perlabitur, eundem esse cum illo qui in Novo regno Granatensi oritur atque illic à barbaris appellatur *Turmeque*, idque eo argumento, quod fluviorum, qui fontes suos habent in dicto Novo Regno, alii dilabantur versus occasum, alii versus ortum: verum hæc opinio non probatur; siquidem ii qui has regiones perambularunt, testantur hunc fluvium dici *Orinoco*, inter quem & *Marannonem* vastæ provinciæ interjacent, quæ vulgo nominantur *El Dorado*. Sed ut meum quoque judicium interponam, hæc posterior sententia nequaquam evertit priorem, nam neque novum est neque mirum, unum idemque flumen diversis locis & à diversis nationibus, alio atque alio nomine appellari: ita ut *Orinoco* & *Turmeque*
40 unum idemque flumen esse possint: maxime autem verisimile est *Orinoquen* maxima sui parte è Novo Regno descendere, ut postea dicemus. Sed ad expeditionem regrediamur.

Hispani à *Cabaruto* moventes, regionem omnem à *Caribibus* invenerunt pervastatam, & pervenerunt tandem ad Cataractas, à quibus *Ordas* retro cesserat: verum *Herrera* nequaquam deterretus, cymbas exonerari, & summo cum labore & discrimine traducifecit; Cataractis autem superatis, regionem planam & campestem, sed nullis mortalibus cultam ingrediuntur; ventumque tandem post plurium dierum iter ad ostium fluvii qui *Metam* perlabitur; Hic subductis cymbis, & exscensione facta, permolesto itinere per paludosa & impeditissima loca, penetrarunt ad pagos barbarorum, quos vocant *Xagua*: (qui & ferocissimi & antropophagi esse dicebantur)
50 illumque post acre certamen fugatis barbaris ingressi, satis magnam annonæ copiam acceperunt. Trajecto deinde amne, in altero pago locum hybernis ceperunt, ubi inter alia animalia, canes muti ab ipsis inventi, quos barbari *Mayos* atque *Auries* vocabant, carne palato haud minus grata quam caprarum sylvestrium. Verum barbari paulo post tam inopinato in illos irruerunt, ut multi caderent, plures vulnerarentur, & inter eos *Herrera* qui rabidus paulo post expiravit: successit illi

Alvarus

Alvarus de Ordas, qui superstites reduxit ad naves, & denique ad *Pariam*; verum quum arcem jam desertam reperisset, (quia *Ortalius*, ut supra diximus, consilium mutaverat) copias aliò traduxit. Atque hæc quidem ab Hispanis in flumine *Viapari* gesta usque ad annum *1536*.

Plures postilla expeditiones ab illis susceptæ, dum anxie quærunt *El Dorado*; quarum varii authores meminerunt, sed uti incertos hic consulto præterimus, prope- rantes ad ea quæ nostris temporibus acciderunt.

C A P. XXI.

Quæ porro ab Hispanis hic gesta fuerunt & præsertim à Gundifalvo Ximene de Quesada, & Antonio de Berreo. 10

QUEMADMODUM *Petrus de Orsua*, auro opulentam regionem *El Dorado*, quæ fiverat è præfectura *Quitensi*, *Pizarrum* imitatus, ita *Gundifalvus Ximenes de Quesada* idem tentavit è Novo Regno Granatensi, per fluvium *Papamenem*, ut narrat *Walterus Ralegus* in *Gujana* descriptione; verum non minus irritò conatu. Is filiam suam elocavit *Antonio de Berreos*, qui soceri vestigiis insistens, tandem incidit in manus *Ralegi*, in Insula *Trinitatis* ab eodem interceptus, qui expeditionis suæ ordinem & eventum exposuit, uti à *Ralego* in commentarios fuit relatum, è quibus hic compendio quædam referemus. *Antonius de Berreo* (inquit) aditum ad *Gujanam* investigavit è Novo Regno Granatensi, & descendit fluvium *Cassanar*, qui in majorem amnem confluit, qui *Pato* appellatur, & hic porro in *Metam*, qui denique se condit in *Barraquan*, quem alii vocant *Orenoquen*. 20

Cassanar.
Meta.

Pato.
l. IX.

Oritur autem *Cassanar* in Novo Regno Granatensi è Montanis *Tuniæ*; è quibus & *Pato* descendit; uterque autem confluit in *Metam*, qui oritur haud longe à *Pampelona* ejusdem Regni Granatensis oppido. Nos supra in descriptione Novi Regni mentionem fecimus fluvii *Pati*, verum eundem, secundum *Herreram* in magnum fluminis *Magdalena* alveum se condere diximus. *Meta* porro, una cum *Guajare*, (qui oritur è montibus, qui *Timana* imminet) confluit in *Barraquen*; omnes hi fluvii veluti totidem sunt rami magni hujus fluminis, in quod ingressi, nomina sua amittunt, non minus quam ipse *Barraquen*, qui inferius appellatur *Orenoquen*. *Berreo* itaque cum copiis suis per *Cassanarem* descendit ad *Metam*, atque ita porro ad *Barraquen*, partim secundum ripas fluviorum incedens, partim cymbis vectus; verum postquam magni fluminis alveum fuerat ingressus, magnam jacturam passus est hominum atque jumentorum, pluribus cymbis aut ad cæcas rupes fractis, aut à rapido undarum lapsu & crebris vorticibus, everfis: plures quoque suorum desideravit in præliis cum barbaris qui montana incolunt; neque integro anno ullum operæ precium fecit, incertior multo de *Gujana* situ, quam antea; donec ventum fuit ad limites *Amapajæ*, octidui itinere à fluvio quem vocant *Caroli*. 30

Caroli.
Amapaja.

Anebas.

Amapaja provincia sita est ad ripas *Orenoques*, auri imprimis opulenta, si *Antonio de Berreo* & barbaris qui hic incolunt tuto creditur. Substitit hic mensibus sex, & fortissimo quoque suorum militum, & plerisque equis in variis certaminibus cum ferocibus barbaris, desideratis, tandem pacem à barbaris impetravit, & octo simulachra ex auro absoluto conflata & tam industrie, ut ipse testatur, facta, ut cum Europæis certarent; quæ ad Regem Hispaniarum fuerunt missa: barbari à quibus hæc accepta gentili nomine dicebantur *Anebas*; fluvius autem *Orenoque* juxta illorum provinciam jam duodecim miliaria latus esse traditur, licet hæc provincia septingentis aut octingentis miliaribus credatur ab ostio fluminis abesse. Porro *Amapaja* provinciæ solum ad ripam fluminis humiliter est & paludosum, & rivi atque torrentes qui illud permeant, rubicundum colorem trahunt à limo; generantque quam plurima insecta supra modum venenata, ita ut valde periculosum imò lethale easdem haurire, quemadmodum *Berreus* narrabat se multorum exitio fuisse expertum. 50

Hinc digressus, & secundum Australem fluminis ripam incedens, anxie & diligenter cœpit investigare, si quem aditum in *Gujanam* posset reperire, sed frustra, passim enim imminebant altissimi & præcipientes montes: ad hæc plures offendit amnes, qui à dextra lævaque in *Orenoquen* descendebant, quorum tamen nomina se aut non

non didicisse aut oblitum profitebatur, præterquam fluvii *Caroli*; (simulabat enim se cosmographiæ adeo imperitum esse, ut ne plagas quidem discernere nosset.) Ita ut de successu expeditionis jam pessime speraret, donec ventū fuit ad *Emeriam* provinciam, in qua annonam satis largam invenit, & incolas longe urbaniores. Regulus hujus provinciæ dicebatur *Caripana* pene centum annorum senex, qui in adolescentia sua Insulas *Trinitatem* atque *Margaritam* inviserat, atque etiam in aliis partibus cum Christianis commercia exercuerat; ita ut instituta illorum edoctus, & suos pacifice gubernaret, & cum vicinis *Caribibus* ipsi haud male conveniret. *Berreus* hic aliquandiu commoratus, postquam se jam satis multa de *Gujana* comperisse existimavit, secundo flumine descendit ad Insulam *Trinitatis*, atque inde navigavit ad *Margaritam*; à qua cum quinquaginta militibus ad insulam *Trinitatis* remeavit, & ibidem domicilium fixit: sed paulo post aliquot suorum cum idoneo duce dimittit ad *Carapanam*; qui eisdem destinavit ad vicinum regulum *Morequitem*, itinerum ad *Guianam* haud dubio magis gnarum, siquidem illius provincia tantum quinque dierum itinere dicebatur abesse à *Macureguara*, primo *Gujanae* oppido.

Morequitus hic superioribus annis plurimum auri deportaverat ad *Cumanam* atque *Margaritam*; & ingentem *Gujanae* opulentiam tam magnificè extulerat apud *Videm* qui tum præfectum in Insula *Margarita* agebat; ut ille ab Hispaniarum Rege diploma postularet, quo ipsi soli liceret illam lustrare & subjugare: cujus rei conscius *Morequitus* & *Berreus* haud dubio iniquior, milites illius haud lubenter accepit; non tamen palam detrectari ausus, aliquot suorum delegit, qui *Berrei* militibus, inter quos & monachus fuit, viam ad *Guianam* commonstrarent: ita ut undecim dierum itinere penetrarent ad urbem *Manoam*, & magnam auri vim nanciscerentur, (uti *Berreus* referebat, sed negant barbari illos umquam eousque processisse) verum inde redeuntes, quum jam ad fines provinciæ *Aromaje* pervenissent, omnes à *Morequiti* subditis sunt trucidati, uno tantum excepto, qui cladis nuntium & rem prout gesta erat ad *Berreum* pertulit: qui statim plures suorum dimisit, commilitonum suorum cædes vindicatum; verum *Morequitus* id metuens trajecto flumine *Orenoque* per provinciam *Saimam* & fines *Wiquirorum* profugerat ad *Cumanam*, apud præfectum *Videm* se latibulum & delictorum veniam reperturum frustra credens: verum ille, licet *Morequitus* ingens auri pondus pro vitæ suæ incolumitate promitteret, quia tamen tot Hispani & inter illos religiosus illius opera perierant, *Berreus* nomine Regis illum postulanti, negare nequaquam ausus, miserum vinctum ad Insulam *Trinitatis* destinavit, ubi & supplicio à *Berreus* fuit affectus. Milites autem ab ipso missi provinciam pervastarunt, capiunt *Topiavarin* patrum *Morequiti*; qui postea se redemit centum laminis aureis & pluribus gemmis, quas Hispani vocant *Piedras Hiadas*, & *Aromaje* præfuit.

Berreus interea quum se hisce factis, plerisque; accolis fluminis *Orenoques* invisum cerneret, qui *Morequitum* dilexerant, haud amplius suos eo audebat mittere, præterquam ad *Carapanam*, cujus auxilio sperabat se aliquando ad *Guianam* viam reperturum. Et ut *Morequitenses* rursus demereretur, cognatum defuncti baptizari & *Don Iuan* fecit appellari, atque eisdem præfecit. Magnam quoque auri vim misit in Hispaniam, & varias Americæ Meridionalis partes, ad milites cogendos, quibus aliquando *Guianam* perdomaret: Quum inopinato inter hæc molimina à *Walthero Ralego* caperetur.

Post illa ad ripam *Orenoques* colonia deducta fuit ab Hispanis, & oppidum *S. Thomæ* conditum, de quo mox dicemus, ubi primum ea quæ à *Walthero Ralego* in his partibus gesta fuerunt, prout ab ipso narrantur, retulerimus.

C A P. XXII.

*Prima expeditio Equitis VValtheri Ralegi ad flumen Orenoquen
quæ incidit in annum clō Io xcv.*

Raleghus jam satis multa de *Guiana* opulentia & de itineribus quæ ad illam ducunt à *Berreus*, uti putabat, edoctus; omnibus modis, illam sibi tentandam existimavit; sed varix objiciebant se difficultates, & præsertim una longà maxima, quod ignorarent, per quod potissimum ostium in magnum fluminis alveum penetrandum esset: missus itaque primum Vice-Admiralius ipsius *Georgius Giffordus*

Capuri. cum lyburnica & minori navigio, ut fluminis ostium, quod *Capuri* vocant, periclitaretur, verum irrito successu, nam licet in ipso aditu, ubi æstus implevit novem palmos, quum recesserit, tantum quinque altum esse satis constabat, tamen non poterant tantum promovere versus ortum, aut vada quæ ab insulis in altum descendunt, superare, antequam æstus relaberetur: deinde & *Regius* cum cymba dimissus, ut alterum Amanam. ramum lustraret (quem barbari vocant *Amanam*), qui in intus sinus *Guanipa*, ut vocant gremium egreditur, sed hic quoque vadiosior & vel mediocribus navigiis idoneus est repertus: Tandem tamen à *Ioanne Dowglassio* quatuor ostia inventa, patentissima quidem illa, sed exeuntia in sinum haud supra sex palmos altum: Quare majoribus navigiis in portu relictis, se uni lyburnicæ & aliquot cymbis commiserunt. Erratum aliquandiu inter insulas, & plurimos canales, (Ferdinando barbaro, quem ducem itineris secum duxerant horum locorum penitus imperito;) usque ad vigesimum quartum May; quo bonis avibus lembum barbarorum obvium habuerunt, in alveo fluminis (cui rubræ Crucis nomen indiderunt) & unum illorum licet invitum coegerunt, ut iter ipsis monstraret, erat enim senex & locorum illorum admodum peritus.

Tiviti- Barbari (inquit *Raleghus*) qui insulas hæc incolunt, communi nomine appellantur v. *Tivitiæ*, suntque duarum nationum, alii enim sunt *Caiwani*, alii *VVarra Weery*; robusto corpore neque invenuto, quique Idioma usurpant admodum virile & magnificentum. Æstivis mensibus ædes suas in solo construunt, hybernis autem in fastigiis arborum; nam à mense Mayo ad Septembrem ita intumescit flumen *Orenoque*, tantasque devehit undas, ut insulæ maximam partem inundentur, paucis editioribus exceptis, & aqua interdum viginti palmos ripas excedat. Vicitant palmitum & aliarum arborum fructibus, atque ferina; neque ullam agris colendis impendunt operam, desides & laborum intolerantes.

Flumen autem *Orenoque*; per sedecim aut forte plura ostia exiens, quam plurimas insulas hic dividit, quarum quædam Vectæ magnitudine pares esse putantur, quædam minores: ita ut Australius ostium ab omnium septentrionalissimo putent distare circiter centum leucas, & æstuarium illius in universum patere supra trecenta milliaria Anglica, & æstuarium fluminis *Amazonum* longe excedere; Insularum autem aliarum appellatur à barbaris *Pallamos*, aliarum *Horotomeka*, quarum hæc subeuntibus ad dexteram jacent, illæ ad sinistram: canalis denique qui ab *Amana* ad *Capurin* pertinet, vocatur à barbaris *Macuri*.

Amana. *Raleghus* hunc ducem tam opportune nactus, & à *Giawanorum* insula solvens, quatruidi itinere promovit ad patientiorem fluminis alveum, qui major *Amana* nominatur, & directius ascendit versus Austrum: jamque ad quintum latitudinis gradum ab Æquatore versus Arctum ventum erat; quum navales focii præ nimio æstu, & labore animo linqui cœperunt, & universi summa annonæ angustia premi; & haud dubio re infecta redeundum fuisset, nisi à conductore suo per amnem qui ab dextera exibat, ad pagum quendam indigenarum fuissent deducti, ubi non nihil annonæ acceperunt: suffecerat hæc tantum pauculis diebus, & rursus inciderunt in easdem angustias, quum commodum in eos inciderunt cymbæ unilignæ, quæ commeatu onustæ, *Margaritam* insulam petebant: Ex his non modo nacti sunt quo famem amolirentur, sed & *Martinum* quendam, ex *Arwaccarum* natione, sed ab Hispanis baptizatum, qui iter ipsis compendio ad principalem *Orenoques* alveum demonstravit, ita ut jam alta montium juga & *Guianæ* fines eminens conspicerent.

Quum autem hic anchoras jecissent è regione trium annuum, qui hic in magnum flumen confluent, venit ad ipsos *Toparimaca* illius provinciæ regulus, adferens varios fructus illius regionis & alios commeatus, & deduxit illos ad suum pagum, supra monticulum situm, & amænis viridariis & fæcundis arvis undique cinctum; pago nomen erat *Arowocay*, incolæ è natione *Nepojorum*. Hic alium ductorem nacti, qui horum locorum situm & fluminis imprimis lapsum exacte percallebat, rursus solverunt, & aura ab Oriente valide perflante, quæ ipsis secunda erat, (nam alveus hic pene recta pergat versus occasum) prætervehuntur primum ad sinistram insulam, quæ circiter viginti quinque milliaria in longitudinem, sex autem in latitudinem patebat, (barbari vocant *Assapanam*) principali fluminis alveo alterum insulæ latus radente:

dente: deinde alteram insulam recta pene duplo majorem, quam *Twanam* appellabant; alveum vero qui illam à *Guiana* continente dirimit, *Arrowapanam*; ita ut continens utrimq; distet circiter xxx milliaria. Ad dexteram porro & versus occasum ab *Affapana* insula, egreditur in *Orenoquen* Europa amnis, ab Arctoa plaga descendens: hujus con-
fluentem prætervecti anchoras jecerunt sub insula *Ocaywita*, sex quidem milliaria longam, duo autem latam: & postero die sub insula *Putayme*, è cujus regione altus mons è continente surgit, quem barbari nominant *Oecopen*: à quo provehentes versus occasum, ad dexteram amænissimam planiciem & fœcunda arua sunt conspicati; quæ barbarus nauclerus campestris *Sayma* appellari narrabat, planiciemque per magna terrarum spacia ad *Cumanam* pertingere, atque adeo ad *Caracas* pene centum & viginti leucis versus septentriones, intermedio vero spacio quatuor diversas nationes incolere; primum *Saymanos*; deinde *Assawayos*; tertio *Vvikiros* populosissimam gentem, quæ superioribus annis *Petrum Hernandez de Serpa* cæciderit; denique *Aroras*, cute quidem nigra pene instar Nigritarum, sed glabro & depexo capillitio, cæterum bellicosissimam nationem, & quæ venenatas sagittas usurpat.

Tertio die jecerunt anchoras sub sinistra fluminis ripa inter duos montes *Aroamin* & *Ajum*: quarto die præternavigarunt *Manoriparam* insulam, in medio fluminis sitam; quinto demum adnavigarunt provinciam *Aromajam*, & anchoras jecerunt ad occidentalem Angulum *Murrecolima* Insulæ, quæ in longitudinem quidem decem, in latitudinem quinque milliaria patebat; & postero denique die in ipso *Moriquiti* portu; ubi ad ipsos venit patruus *Morequiti*, à pago qui quatuordecim milliaria à ripa aberat, licet jam decimum supra centesimum ætatis annum attigisset.

Senex hic *Guianæ* situm ita explicabat: omnem hanc regionem usque ad *Emeriam* vocari *Guianam*, indigenas autem communi nomine *Orenoqueponos*, usque ad montana *Vvacarima*, quæ procul intra continentem erat cernere: trans montes porro aliam planiciem sterni, quæ *Amariopacana* vallis dicitur, cujus incolæ itidem sunt *Guianiatæ*; in provincias vero quæ supra istos jacent superioribus annis advenisse peregrinas gentes, quæ se *Orejones* & *Epuremejos* vocant; ab his veteres illarum regionum incolas partim cæsos, partim pulsos ex avitis sedibus; (exceptis tantum *Awarawaqueris* & *Cassipagotis*) & insignem urbem cum magnificis ædibus structam, quam vocant *Macureguaran*.

A portu *Morequito* profecti, & flumen porro ascendentes, prima nocte substiterunt sub Insula *Caiama* quæ quinque aut sex milliaria patet in longitudinem: postero die venerunt ad *Caroli* fluvii ostium, sed propter pernitem illius lapsus illum nequam quam potuerunt ascendere: missi itaque aliquot barbari *Canuriam*, rogatum, ut ad ipsos descenderent; postero mane venit ad ipsos *Vvanuretona* regulus cum plurimis suorum, qui omnis generis comætarum & varios fructus adferebant: Erant enim non tantum *Epinemjorum* sed & Hispanorum infensissimi hostes. Referebat Regulus intra continentem ad oram magni lacus *Cassipa*, è quo fluvius *Caroli* effluit, tres potentissimos populos habitare *Cassipagotos*, *Eparagotos* & *Arawagotos*, Hispanis supra modum infensos. Missi aliquot à *Ralego* ad vicinam regionem lustrandam; de cujus opulentia mira narrat in suis commentariis. Ad sinistram fluvii *Caroli* ripam degunt *Awarawaqueri*, quorum paulo ante meminimus. Ex eodem lacu prodit & alter amnis qui vocatur *Aroy*; post quem labuntur bini alii amnes *Aloica* & *Caora*; ad posterioris ripas barbaros illos incolere tradunt capitibus intra humeros ita depressis, ut multi crediderint illos oculos in humeris & os in pectore habere, vocant *Ewaypanomas*. Quartus ordine à *Carolo* versus occasum fluvius dicitur *Casnero*, secus *Amapajam* in *Orenoquen* se condens, amplitudine cum quovis Europæ nostræ fluvio comparandus.

C A P. XXIII.

50 *Annium qui in Orenoquen influunt Catalogus; & Expeditionis Ralegianæ reliqua.*

ANTE QUAM expeditionem *Raleghi* persequamur, operæpretium erit hic præmittere annium Catalogum, qui in *Orenoquen* influunt. Primus annis (inquit *Ralegus*) qui ab Arcto in *Orenoquen* descendit appellatur *Cari*: & huic proximus versus Favonium, *Limo*: inter utrumque autem degunt ad ripam & intra

continentem canibales sive antropophagi; quorum præcipuus pagus vocatur *Acamacari* ubi quotidie mercatus fœminarum celebratur, quarum singulas emunt *Arvacca* pro tribus quatuorve securibus, & venales deportant ad alias Americæ Meridionalis provincias. Sequitur deinceps versus occasum amnis *Pao*, & mox *Caturi Voari* atque *Capuri*, qui derivatur è magno flumine *Meta*, quod *Berreum* è novo Regno Granatæ venientem descendisse diximus. A *Capuri* versus occidentem jacet provincia *Amapaja* in qua ille hibernavit, & plures suorum desideravit à venenatis aquis enectos. Supra *Amapajam* versus Novum Regnum Granatæ, descendunt in *Metam*, *Pato* atque *Cassanar* amnes. Ab hoc fluvio versus occidentem & provinciam barbarorum qui dicuntur *Ashagua* atque *Catety* succedunt amnes *Beta*, *Dawney* atque *Vbarro*; & in finibus Peruviæ jacent provinciæ *Tomebamba* atque *Caxamalca*. Haud procul denique à Quito, ad septentrionale Peruviæ latus, labuntur fluvii *Guiacar* & *Goavar*: denique ad alterum montium latus *Papamene* fluvius, (qui per provinciam *Mutylonum* delapsus in *Maranonem* vel *Amazonum* flumen descendit) ad cujus ripas *Petrus de Orsua* cymbas suas struxerat, quum aditum ad *Dorado* quæreret, per fluvium *Amazonum*. Confusissima esse hæc facile quivis videbit qui veram Peruviæ descriptionem vel à limine salutaverit.

Inter *Dawney* autem & *Betam*, complectitur Flumen *Barraquan* (ita enim *Orenoque* ibidem appellatur) famosam insulam *Athulen*, supra quam navigia paulo majora ascendere nequeunt, ob Cataractas & pernitem undarum lapsum.

Cæterum quum jam crebris imbris *Orenoques* alveus supra modum inciperet intumescere, consultius *Ralego* visum, cursum retro flectere; itaque *Caroli* amnis ostio relicto, eodem die revertitur ad *Morequitum*; ubi denuo cum *Topiawari* sermones de *Epuremeorum* rebus ferens, cognovit primum ipsorum oppidum *Macureguaram* tantum quadridui itinere ab hujus pago abesse; & quum *Ralegus* promitteret se proximo anno cum majoribus copiis rediturum; à Regulo quidem filium accepit, & duos itidem suorum veluti obsides ibidem reliquit.

Descendit cum *Ralego*, *Putima Warapana* regulus, deducturus illum ad montem in sua provincia situm, qui opulentas auri venas abscondere credebatur: descenderunt autem primum secundo flumine *Maná*; relicto ad dexteram pago *Tuteritona*, qui ad provinciam *Tarracoam* pertinet: præter quam jacet pulcherrima vallis *Amanocapana* quæ circiter sexaginta miliaria in longitudinem patere creditur inter ortum & occasum; deinde *Oianam* amnem per transversum secantes, paulum substiterunt juxta lacum, qui hic medium alveum occupat; & studiose requisiverunt alterum lacum, ut ita attingerent montem *Iconurin* qui aurum continere dicebatur: Verum quum *Ralegus* molestias itineris amplius ferre non posset, *Keymisum* ablegat, ut studiose locum lustraret, & per vallem transfiret ad fluvium *Cumacam*, ubi ipsum erat præstolaturus.

Descenderunt ergo porro flumen secus provinciam *Parino* ad *Ariacoam* usque, ubi *Orenoque* se dividit in tria pulcherrima brachia, quorum unum, quod *Cararoopana* dicitur, ducit ad provinciam *Emeriam*, cui *Carapana* tum imperabat: atque hoc quidem *Ralegus* ipse descendit, ut *Keymisio* occurreret. In hoc brachio plures & insignes insulæ sparguntur, quarum quædam sex, aliæ decem, quædam & viginti miliaria patent. Sub solis occasum inciderunt in aliud fluvii brachium, quod *Winicapora* dicitur; intra hoc mons *Crystalli* esse ferebatur, verum longitudine itineris, & anni tempestate minus propitia deterriti illum tantum è longinquo viderunt, instar candicantis turris, & admodum altæ. Præcipitat se de hoc monte fluvius ingenti murmure in grandem abyssum, ita ut non facile alibi ejusmodi Cataracten sit reperire, barbari vocant *Wacarimam*. Hic autem didicerunt *Carapanem* relicta *Emeria* se subduxisse cum quibusdam Hispanis versus *Cairamum* sub montibus qui *Guianam* ab *Orenoque Ponis* dividunt: quare à *Winicapora*, (relictis ad ortum quatuor amnibus *Waracayari*, *Coirama*, *Anakiri* atque *Iparoma*, qui omnes è montibus *Emeriæ* descendentes se condunt in *Orenoquen*,) cum maxima difficultate redierunt ad caput fluvii *Carerupana*, atque inde ad ostium fluvii *Cumana*; & accepto *Keymisio* cum sociis promoverunt ad locum, ubi *Orenoquen* in tria brachia se dispescere diximus; deinceps salutata ex itinere Insula *Assapana*, portum *Toparimacæ* subjerunt; atque inde solventes, quia impossibile erat, ea via quam venerant, per *Amanam* regredi, alium brachium *Orenoques*,

ques, quod *Capuri* dicitur sunt ingressi, atque ita non sine ingenti discrimine (distabat enim *Capuri* ostium à navigiis ipsorum, pene tanto intervallo, quanto *Dovera* à *Grevelinga*) tandem ad classem suam remearunt; & postea in Angliam. Capuri.

Non est nobis propositum hic inferere quæ à *Ralego* magnifice prædicantur de opulentia harum regionum, & incredibili auri copia, siquidem nondum fidem apud Europæos invenerunt; si quis ista penitus cognoscere desiderat, legat ipsius *Raleghi Guianam*: nos reliquæ Anglorum gesta in hac Americæ Meridionalis parte breviter persequemur.

C A P. XXIV.

10

Secunda Anglorum expeditio in Guianam duce Laurentio Keymis anno c1010
xcvi. & Tertia duce Thoma Mashamo eodem anno & sequenti.

R *Aleghus* domum reversus, secundam expeditionem cum duabus navibus (quarum una tantum liburnica erat) committit *Laurentio Keymis* impigro viro & navigationum illarum admodum perito. Is solvit ex Anglia xxv Januarii anno c1010 xcv. xiiii Feb. attigit *Canarias* insulas; & paulo post *Hesperides*. A quibus xxviii Feb. profectus, xiv Martii Continentem Americæ Meridionalis adnavigavit, fixitque primum anchoras in ostio fluvii *Arrovari* (de quo supra). Atque inde Cap. iij.
20 littus legens versus eorum, & amnes qui inter Magnum flumen Amazonum & *Orenoquen* intersunt obiter lustrans, demum vi Aprilis pervenit ad ostium *Orenoques*, sive *Raleana*, ut ipse vocat. Observat autem hunc alveum, qui dudum cursum in mari servat, non nisi sex septemve orgyas altum esse, novem aut decem milliaribus ab ipso ostio; in limine autem, ut ita dicam, æstuarii vix duas; nec æstu maris accedente supra quinque palmos augeri, nisi forte nova aut plena Luna. Hic barbaros conductores nacti, & octiduum adverso flumine subvecti, portum *Topiavari* attigerunt: nusquam barbaris amicis visis, qui de Anglorum adventu, quia promissum tempus jam exspiraverat, desperantes, Hispanorum metu in diversa se receperant. Hispani enim viginti aut triginta tuguria in municipii modum hic construxerant, ex adverso petreæ
30 insulæ, quæ fluvii Caroli faucibus objacet, ut barbaris majore numero ex improvise incumbentibus in hanc tanquam arcem se possent recipere; dum majores copiarum à variis partibus advenirent. *Keymisus* itaque quum se Hispanis imparem, barbaros incertæ fidei, & intuta omnia cerneret: quantocius sibi redeundum existimavit. In ascendendo autem, *Toparimaco* portum prætervectus, ubi alveus vadusior est, quum altissimus continentem *Gujanæ* propius radat, descendens australe latus legit, ob insignem alvei latitudinem & profunditatem, nam multis locis viginti orgyas, paucissimis duas & semissem deprehenderunt. Atque ita quinto mense, postquam ex Anglia solverat, columis in patriam in rediit, nullo operæ precio facto, nisi quod commodissimum aditum ad *Orenoquen*, & genuinum fluminis alveum primus Anglorum detexit.
40 Misit & eodem anno *Ralegus* aliam minorem navem, ad eandem expeditionem, eique præfecit *Thomam Mashamum*: Is sub exitum Decembris solvit à *Waymoutha*; & xxv Jan. anni c1010 xcvi majorem *Canariam* prætervectus; viii Feb. attigit insulam *Salis*, *Hesperidum* unam: à qua xii ejusdem solvens, vigesimo septimo ejusdem mensis continentem Americæ Meridionalis adnavigavit, ad altitudinem duorum graduum & triginta scrupulorum ab Æquatore versus Arctum. Adiit deinde amnem *Wiapoco* & cæteros qui ordine jacent ad illam oram usque ad *Corretinen*, ubi à xviii Aprilis substitit usque ad sextum May; nullo operæ precio facto, licet à barbaris deceptus, (ut verisimile est) flumen ad Cataractas usque ascendisset, ut auri venas & opulentas nationes requireret. A *Corretine* recta navigavit ad *Caribum* insulas, & vi
50 gesimo octavo Junii rediit in Angliam, *Orenoque* flumine ne quidem viso. Non invenio post illud tempus quicquam magni ab Anglis in illis partibus tentatum, nam post Serenissimæ Reginæ *Elizabethæ* decessum, & *Iacobi* Regis inaugurationem, *Waltherus Ralegus* conspirationis in Regem publico judicio convictus, & capitis damnatus, Regis clementia in perpetuum carcerem fuit submotus & in turrim Londinensem conclusus.

Postrema VValtheri Ralegi in Guianam expeditio annis cIo Io cxvi & xvii. & illius supplicium.

POST QUAM Ralegus in Turri Londinensi pene quatuordecim annis captivitatem tolerasset, Regi persuasit se nullo negotio opulentissimam auri fodinam in *Guiana* posse detegere & Regnum Angliæ multo auro beare; itaque licentiam impetravit cum classe plurium navium quam suis & amicorum impensis paraverat, eò navigare. Quis expeditionis hujus exitus fuerit, ex ipsius Ralegi Epistola quam ab Insula *S. Christophori* ad *Radulphum Winwoodum* Magnæ Britanniae Regis Secretarium perscripsit, planum fiet, quæ ita se habuit. Nullam tibi hactenus, Domine, expeditionis meæ in Indiam reddidi rationem: neque sane argumentum literarum sese obtulit nisi triste & infortunatum; nam quum ut plurimum inter Insulas *Hesperides* & *Americæ* continentem tantum quindecim aut ad summum viginti dierum iter sit, ventos adeo adversos tamque graves tempestates & nimbos sum expertus, ut vix sex septimanis absoluerem: quibus accessere maximus æstus & aquarum potabilium inopia, funium atque anchorarum jactura sub insula *Brava* & Promontorio viridi, ubi summum vitæ discrimen adivimus; denique ægritudines & mortes tam lectissimorum militum quàm peritissimorum nautarum. Decimo septimo demum Novembris venimus in conspectum *Guiana*, & jecimus anchoras ad ostium fluminis *Caliana* (quam supra vocavimus *Cajanam*) quinque gradibus ab Æquatore versus Arctum, ubi substitimus ad quartum Decembris. Hic ægros omnes exposuimus, lembos & celoces, quas ex Anglia adduxeramus, instruximus, aquavimusque, Regulo hujus tractus *Henrico Calliano*, amico veteri, nos & opere & comœatu peramice adjuvante. Eram tum ipse æger & in summo vitæ discrimine, ita ut sex septimanis me vix possem commovere. Itaque *Keymisio* imperavi, ut cum quinque navibus *Orenoquen* subiret & duceret ad fodinam. Hisce navibus vehebantur quinque, quinquaginta militū singula; quibus præerant *Parkerus*, *Northius* (frater dominorum *Montis aquilæ* & *Northy*) nobilissimi viri, & laborum, inedia & æstus patientissimi; Filius meus, *Tornapius Cantianus*, & *Chudleyus* per legatum: *Figotius* jam decesserat, & Legatus meus *VVarrhamus S. Leger* periculosissime sine spe vitæ ægrotabat: cognato autem meo *Georgio Ralego*, qui multis annis in Belgio cum laude militaverat, & nunc vicem meam supplebat, nondum adulta autoritate, miles haud ita obediens erat, quam expeditionis gravitas postulabat. Quum nostri flumen ascenderent, Hispani statim hostilia in illos cœperunt moliri, tormentis majoribus & minoribus illos petentes; ita ut vim vi repellere cogèrentur, & Hispanos paulò post ex oppido propellerent: Filius meus hic in primo congressu cæsus, magis gloriæ quam securitati suæ consulens: in quo, ut verum fatear, non modo charissimi pignoris jacturam feci, sed & omne quod mihi in hac vita charum erat amisi. Reliquæ meæ naves sub Insulam se subduxerant, nullum commodiorem portum in vicinia *Guiana* reperientes. Harum secundæ præerat Vice-Ammiralius meus *Ioannes Penningtonus*, de quo jure testari possum, illum inter rei nauticæ peritissimos, quos Anglia nutrit, numerandum esse: tertiæ *VVarrhamus S. Leger* fortissimus & generosissimus eques; quartæ *Ioannes Fearnus* eques; quintæ Tribunus *Chudlaus Devoniensis*. Hisce quinque navibus expectabam quotidie Hispaniensem Classem; quæ si in nos irruisset, dum classis nostra ita divisa erat, procul dubio non modo nos, sed & qui flumen ascenderant, nullo negotio oppressisset: verum nos potius una cum Hispanis perire & conflagrare optassemus, quam vel tantillum illis concedere. Videntur tamen Hispani consultius æstimasse sub insula *Margarita* nos operiri, quæ nobis prætereunda erat Americam petituris. Nam quum Regi placuisset mihi jurato imperare, ut terras & flumina quæ adire proposueram, nominatim designarem, adhæc navium magnitudinem, militum atque machinarum numerum, & reliquum belli apparatus scripto explicarem: Ea omnia statim Hispaniarum Legato fuerunt propalata; qui quantocius omnia *Madrimum* destinavit, antequam à *Thamisi* soluissem: nam primæ Regis literæ, quas celoce ad præfectos suos in Americam misit, scriptæ erant xiv Martii anni cIo Io cxvii; has

has tibi mitto, alteras mihi seruo, metuens ne forte hæ meæ intercipientur. Alteræ Regis litteræ scriptæ erant xvii May missæ ad *Didacum de Palameque, Guianæ, El Dorado, & Trinitatis* Gubernatorem: Tertiæ scriptæ erant ab Episcopo *Portus Ricci*, & à *Palameque* acceptæ xv. Julii, in Insula *Trinitatis*: quartæ scriptæ erant à Secretario Telonei Indici, & una cum regiis litteris missæ. Missi etiam fuerant, qui quam ocyssime trecentos milites cogerent & decem machinas è *Portu Rico* ad *Guianam* deducerent; præter centum quinquaginta milites qui ex Novo Regno Granatensi sub tribuno *Antonio Mexia*, & totidem qui è *Portu Rico* sub tribuno *Francisco Sanchio* accersebantur. Quum autem omnibus qui Americam adierunt, hoc Rege nostro rerum potiente notissimum sit, Hispanos promiscue in omnes peregrinos, quos intercipere potuerunt, immaniter sævisse, licet tantum commerciorum gratia advenissent, quid de nobis futurum fuisse censes, si in illorum manus incidissemus, quorum vires, consilia & adventum tanto tempore præcognoverant? Sed objicitur mihi, quare fodinam non fuerim aggressus; quanquam autem nemini (Majestate regia excepta) rationem reddere tenear, præterquam mihi & ipsi, qui & charissimi pignoris & facultatum mearum omnium infelici hac expeditione jacturam feci; tamen satis constat Hispanos magis anxios fuisse de fodina, quam de ipso oppido; & facile ipsis fuisse nos ab illa arcere, præsertim quum, ut Regis litteræ loquuntur, via ad illam ducens aspera sit & fragosa. Verum præterea est, *Keymisium* fluvii alveum tenuiorem invenisse, ita ut circiter milia à ripa cogerentur abstinere; & quum locum exscensionis idoneum reperisset, tantum globulorum nimbus è vicino nemore in nostros incubuit, ut duo remiges exanimarentur, sex graviter vulnerarentur, & imprimis tribunus *Tornapius* in capite, è quo vulnere adhuc languet. *Keymisus* quoque propositi sui tenax, negabat consultum esse; nostros enim qui in urbe *S. Thomæ* relictierant, quotidianis hostium insultibus impares tandem futuros: viamque quæ ad fodinam ducit, per densum nemus agendam esse; neque operas ad manum esse ad metallum egerendum aut eliquandum. Cæterum satis mihi constat, Hispanos duas auri fodinas haud longe ab hoc oppido habere: quarum una possidetur à *Petro Rodriguez de Parama*, altera ab *Herviano Frontino*: Tertia denique, quæ est argenti, à *Francisco Fasciardo*: sed desunt ipsis Nigritæ, indigenas enim ad laborem invitos non licet compellere propter interdictum Car. V. & Hispani neque volunt neque possunt eum laborem tolerare. Dicat Hispanicus Legatus *Praggadocia*, quicquid lubet, per literas possessoris, Telonei rationale, & Quintos Regios, demonstrabo rem ita se habere. Deinde quam facillime, non modo harum, sed & sex septemve aliarum, quas neque hostes hætenus attigerunt, neque aut Angli aut Galli aut Belgæ unquam adierunt, nos compotes fieri posse, nullo negotio demonstrabo. Verum *Keymisus* ab *Orenoque* reversus, quum consilia & facta illius improbasset & quereretur fortunas meas ab ipso penitus everfas, & famam apud Regem ita læsam, ut in integrum restitui nequiret, ingressus in conclave seipsum interemit, &c. Scriptæ erant hæ litteræ xxi May, anno cIo Io cxvii ita ut in litteris datis, quarum *Ralegi* meminit aliquid erratum sit oportet. Atque hic fuit exitus postremæ *Ralegi* expeditionis in *Guianam*; qui postilla in Angliam reversus, capitis damnatus & supplicio fuit affectus xxix Octob. anno cIo Io cxviii.

C A P. XXVI.

Fluminis Orenoques descriptio secundum Belgarum nostrorum observationes.

50 SUPERIORIBUS capitibus compendio descripsimus, quæ ab Anglis auspiciis *Waltheri Ralegi* in *Guiana* & super flumen *Orenoquen* ab anno cIo Io xcvi ad annum cIo Io cxvii fuerunt gesta: interea tamen & etiam antè plures expeditiones susceptæ fuerunt tam ab Anglis quam à nostratibus ad flumen *Orenoquen* & oppidum *S. Thomæ*, commerciorum gratia, atque imprimis Tabacci, quod hic ab Hispanis diligenter colebatur: ita ut satis constet, nostros interdum octo & novem navibus uno anno flumen ascendisse & cum præfecto *S. Thomæ* contraxisse, antequam Rex Hispaniarum gravissimo interdicto Hispanos cum peregrinis omnibus commercia vetasset exercere. Pervenit ad manus meas itinerarium cujusdam Belgæ satis accuratum,

tum, è quo hæc de fluminis situ & condicione hausi. Prætermisissis autem quæ navigationem usque ad continentem Americæ hujus Meridionalis tangunt, quæ jam satis vulgo nota est. A fluvio *Esseequebe* pertinet ora circiter decem milliariibus, versus Arctum, ubi eminus cernere est arborum lucum qui eminus tuguriorum rusticorum formam ostentat; à quo navigantibus fecus oram ubi mare tres orgyas & aliquot palmos est altum, occurrit ostium alterius fluvii, & rursus lucus, & post hunc vasta sylva, hæc ora tendit versus corum; ad altitudinem autem octo graduum & quindecim scrupulorum ab Æquatore versus Arctum, objacent tres exiguæ insulæ, haud longe à Contiente. Quibus superatis subducit se nonnihil ora finum moliens, ad quem videntur tres colles instar struum sæni, & paulo ultra alii tres, & fluvii iidem ostium 10
cui insula objacet, omnis hæc ora humilis est, pertinens ad corum, & mare procul à terra nonnisi duas orgyas & interdum tantum undecim palmos altum, ita ut hic ingentes fluctus ad littus volvat, usque ad promontorium super fluminis *Orenoques* ostium, imprimis editum: hoc prætervectis & insulas eminus conspicientibus, ora è propinquo radenda est, hic enim alveus altissimus est, ita ut primum duæ inde tres, & post illa sex septem atque etiam octo orgyæ deprehendantur, cursus hic instituendus est versus Africum & interdum magis versus Austrum. *Orenoques* fluminis ostium distat ab Æquatore octo gradibus & quinquaginta scrupulis versus Arctum. Sinistra porro ripa radenda est usque ad orbicularem insulam, quæ ad sinistram relinquenda est, & fecus insulas navigandum quæ ad dexteram jacent, ubi alveus altior est; ad sinistram 20
autem continens terra pluribus alveis videtur difsecta & pumilis arboribus vestita; de hinc aperiunt se varia ostia ad dextram lævamque, sed medius alveus sequendus est versus Favonium usque ad Insulam, à qua utrimque alvei descendunt, sed dexter ingrediendus est versus corum, donec ad aliam insulam veniatur, à quâ flectendum est versus Africum: fiunt & plures insulæ obviæ, quarum aliæ ad dexteram aliæ ad sinistram relinquendæ sunt usque ad ingens ostium, à quo rursus deflectendum versus corum, nec tamen alvei ingredeundi qui ad dexteram deflectunt, sed sinistra ora sequenda & medio alveo navigandum, neque declinandum in ostia quæ à dextera sese aperiunt, aut in alveos quæ insulas permeant. Atque ita tandem pervenitur ad patentem alveum qui deducit ad Insulam Trinitatis & vulgo *Mapure* appellatur, quo ad 30
dexteram relicto, uti & altero qui ab leva descendit è continente, recta pergitur, donec ad sinistram se aperiunt quatuor aut quinque editi montes, à quibus ad oppidum *S. Thomæ* numerantur sex septemve milliaria. Atque hæc quidem ille.

Flumen autem hoc accuratissimè fuit illustratum & descriptum à nostris anno c10
10 cxxix, qui auspiciis societatis Indiæ Occidentalis, ductuque Ammiralii *Adriani Iansony Patris* flumen subjerunt; è quorum Itinerariis observavi.

A fluvio *Ammegore* (quem à *Keymisio Amacur* suspicor appellari) qui ab ortu descendens è continenti exit ostio circiter duas tertias partes milliari lato, & haud supra octo palmos alto, ubi æstus refluxit; ab hoc inquam, ad Arctoum terræ cornu fecus quod *Orenoques* alveus effluit, sunt quatuor milliaria versus occasum, intermedio au- 40
tem spacio exit alter amnis ab ortu descendens versus occasum. Porro *Orenoques* ostium pluribus insulis dividitur, à quibus vada descendunt ad tria quatuorve milliaria in altum, à quibus mature cavendum. Ab *Ammagore* autem navigatur ad exiguam & orbicularem insulam, quæ alteri majori adjacet, ante fluminis ostium, à qua declinandum est versus Africum & cornu terræ petendum, quod ad sinistram jacet, pene milliare unum ab Insula, atque hæc est latitudo alvei fluminis isto loco. Ab hoc cornu navigatur versus occasum unum milliare versus aliam insulam quæ à dextera è propinquo stringenda est, & dimidio milliari ad Africum tendendum, ad aliam exiguam insulam, quæ ad sinistram relinquitur, uti & altera ad dexteram; ab hisce insulis, haud integro milliari, versus Africum, valde coarctatur alveus ita ut certis locis vix quar- 50
tam partem milliari sit latum; atque ita porro variis meandris, sed maxime versus Africum, ascendit usque ad oppidum *S. Thomæ*, uno atque altero loco tantum duodecim, tredecim aut quatuordecim palmos altus: hic æstus maris sentiri desinit.

Fluminis ostium distat ab Æquatore versus Arctum octo gradibus & quinque supra quadraginta vel etiam quinquaginta scrupulis; oppidum autem *S. Thomæ* octo gradibus & sedecim aut viginti scrupulis. Iuxta ostium fluminis & in insulis habitant

Tivitiæ

Mapure.

S. Thomas.

Tivitivæ indigentissima natio, quæ maximè piscibus victitat, & certis nucibus palmitorum, magnitudine ovi, quæ racematim L aut LX generantur, aspero & acuto putamine, carne instar cocorum. Hic quoque infinita pene copia volitant quædam insecta, mole & forma formicarum, quæ quatuor alas habent, quas excutiunt simulac confederint, barbari usurpant illa loco sevi. Habitant hic quoque *Caribes*, sed procul intra continentem, ita ut ripæ flumina à rarissimis barbaris jam accolantur. Ab ostio ad viginti aut viginti quinque milliaria ripæ admodum sunt humiles & undis pene æquales, ita ut pluviis mensibus inundentur. Ab hoc loco sensim se erigit solum, ita ut duas aut plures orgyas supra undarum superficiem extet; & ubi supra trīginta milliaria ascenderit, tum desinunt Insulæ & verus *Orenoques* alveus intratur, ripis porro utrimque editis; ab eo loco ad oppidum numerant duodecim aut quatuordecim milliaria.

Oppidum *S. Thoma* conditum est ad ripam fluminis sinistram ascendentibus, patetque in longitudinem pene quartam milliariis partem. Nostrates appulerunt hic XI Decembris anni 1610 cxxxix, verum oppidani, nostros nequaquam operiri ausi, incensis ædibus jam profugerant: quæ triginta aut quadraginta supra centum fuerant, leviter admodum structæ, in medio erat exiguum templum, & ad extremum versus occasum monasterium Franciscanorum.

In hisce provinciis, ut Hispani testabantur, gravissimè pluit mensibus Aprilis & Mayo, ita ut alveus fluminis interdum tres orgyas intumescat; juxta ostium fere continuo pluit, ita ut aër ibidem sit insalubris. Ad hoc flumen, (secus quam in aliis solet ad hanc quidem oram,) juxta ostium nulli aut perpauci reperiuntur mosquiti, interius autem plurimi. Flumen hoc valde piscosum est, nutritque varii generis pisces & inter illos unos congris haud dissimiles, tres quatuorve palmos longos, ventre flavo & cæruleis notulis distincto, patulo rictu instar *Torpedinis*, cum qua & hoc commune habet, quod manu aut cultro tactus, torporem sed ad breve tempus inducat, cæterum innoxius & edulis. Volucrum quoque maxima hic est copia, inter quas nomen merentur plateæ, plumis rubris & ita elegantibus, ut nihil formosius fingi possit. Continens autem alit omnia illa animalia, quorum in superioribus jam memini; Hominum tantum hic summa est infrequentia, qui Hispanorum sævitiam metuentes, alii aliò commigrarunt.

C A P. XXVII.

Descriptio Insulæ quam vocant la Trinidad.

INSULÆ quam Hispani hodie vocant *la Trinidad*, longe maxima est earum quæ hic continenti Americæ Meridionalis objacent, quasque illi vocant *de Sotovento*, quia à classibus illorum quæ continentem petunt, per medias *Caribum* insulas, ad sinistram relinquuntur: distat ab Æquatore versus Arctum octo gradibus aut circiter pro partium illius dispositione: ad occidentem dirimitur à continente Parix angusto freto, cui Columbus primis illis temporibus nomen indidit *Boca del Drago*, à discrimine quo enavigatur; & concludit amplissimum sinum inter se & *Guiana* continentem, in quem flumen *Orenoque* pluribus ostiis erumpit, uti ante diximus. Oviedus altitudinem polarem hujus insulæ accuratius distinguens scribit Australe illius latus distare ab Æquatore novem gradibus, Septentrionale decem; quod melius cum veris observationibus convenit, licet *Raleghus* cornu illius quod vulgo vocatur *Punta del Gallo* five *Curiapan* ad octavum gradum versus Arctum collocet. Belgæ nostri secundum suas observationes, designant Orientalem illius Angulum latusque septentrionale ad altitudinem decem graduum & triginta scrupulorum; & meridionalem Angulum ad altitudinem novem graduum & triginta scrupulorum, aut paulo plurium. Ab *Amagore* fluvio navigantes versus Arctum paulum declinantes versus Favonium appellunt ad quoddam illius cornu, quod vulgo dicitur *Punta Blanca*; à quo ora illius quinque aut sex milliarium intervallo versus Africum aut *W. S. W.* jacet usque ad dictum cornu *del Gallo*, humile & æquori pene æquale, à quo petrosum vadum in altum descendit, ubi mare haud supra undecim aut duodecim palmos est altum. Ab hoc cornu ad angustias illas numerant quatuordecim aut quindecim milliaria. Porro fretum hoc inter

inter Continentem & occidentale Insulæ hujus cornu, quidem circiter tria milliaria latum est, sed injacent illi quatuor aut quinque insulæ quæ illud angustant, & tantum angustos aliquot meatus relinquunt, inter quos fluctus magno impetu eluctantur: E quatuor autem meatibus tantum duo ut plurimum navigantur; quorum unus quem minus os vocant, ita altus est ut bolide fundum tentare nequeas.

Distat hæc Insula, uti ab Hispanis observatum invenio ab Hispaniola ducentas leucas: à Dominica sexaginta, inter Austrum & Arctum: à Margarita & Cubagua quadraginta. Pater in longitudinem, secundum *Herreram* quinquaginta leucas (aut ut alibi scribit quinq; supra triginta aut plures) in latitudinem triginta: Secundum *Oviedum* vero in longitudinem quidem viginti quinq; leucas, in latitudinem autem octo-¹⁰decim aut viginti; quod vero magis consentaneum est. Forma autem est triquetra quæ scriptoribus ansam dedit tam variè de latitudine illius & amplitudine scribendi.

Cæli vitio laborare creditur, & infalubrior esse, quia ut plurimum, densis nebulis tegitur, & à vaporibus obumbratur.

De Soli qualitatibus non minus diversa traduntur à scriptoribus: *Herrera* negat illud fœcundum esse aut sementi faciendæ aptum; *Raleighus* qui anno 1610 xcv sub illa aliquandiu in anchoris stetit, eamque lustravit; scribit septentrionale quidem latus montibus asperum esse; cætera solo esse satis fœcundo, frugumque feraci, præsertim earum quæ huic orbis parti familiares sunt; cannis autem Sacchari ferendis maxime esse idoneum: abundare Mayzio & cassavi, & aliis radicibus quæ²⁰ in cibis usurpantur, variisque haud inutilibus fructibus. In silvis magnum numerum ferarum vagari præsertim aprorum; etiam quorundam animalium quæ alibi aut non aut raro inveniuntur: ita ut incolis quantumvis numerosis, alendis abundè sufficiant.

Metallorum nequaquam inopem esse, atque adeo auri, *Ralegho* persuasum fuit ab Hispanis, ejusque venarum haud levia indicia ab iis deprehensa: non tamen anxie perquisitas fuisse aut tentatas ab ipsis, quia ad *Guianam* auro, ut creditur, opulentissimam anhelabant; grana tamen nonnulla ab aliquibus collecta, & ex amniculis qui Insulam secant hausta; fides sit penes authores.

Indigenæ uno & communi nomine vocantur *Cairi* vel ut alii *Carai*; unde olim³⁰ in duas partes sive provincias volunt fuisse divisam, quorum una dicebatur *Camucarrarum*, quibus præerat regulus *Baucumar*: altera *Chacomarium*, qui *Marvani* parebant.

Immigrarunt in illam è Continente & aliæ nationes, *Iaïi* nimirum juxta *Paricopan*; sedes fortiti; & *Arvaca* juxta cornu de *Carao*, ut vocant; *Sebay* vel *Salvaj* juxta *Curriapan*; *Nepoy* haud longe à promontoriolo de *Galera*: denique *Carinepagotes* haud longe ab Hispanorum colonia tendentes. Barbari autem hi à reliquorum habitu nihil differunt, nudi fere agunt, pinguntque corpora sua rubrica, ut alibi de cæteris diximus.

Porro Hispanorum oppidulum, *S. Josephi* nomini sacrum jacet ad australe insulæ latus ad ripam amniculi, qui appellatur *Carone*; constabat circiter quadraginta ædibus quum à *Walthero Ralego* diriperetur, & præfectus illius *Antonius de Berreo* caperetur.⁴⁰ Non existimo post illa magnopere auctum, nam præter Tabacci culturam nihil hic ab Hispanis geritur. Qui bonam partem incolarum aut alio coëgerunt concedere, aut in servitutem redegerunt.

Nobilissimus Eques *Robertus Dudleyus* Anglus, qui ante *Raleghum* Insulam adiit, narrat sibi haud longe à *Curriapan* ab incolis barbaris, venas quasdam ostensas, quas ipsi *Caluori*, id est, aurum occultare opinabantur; verum marcaziten tantum fuisse deprehensam, quæ splendore suo ignaros ludebat.

Inter præclara hujus Insulæ celebrant terræ quendam angulum, quem barbari quidem vocant *Pichen*, Hispani *Terra de Brea*, juxta quem pix quædam fossilis reperitur tanta copia, ut innumeræ naves illa onerari posse credantur, quam inde de-⁵⁰vehere vix operæ precium puto, maxime quia impicandis navibus haud satis idoneam arbitrantur, utpote quæ à solis calore facillime mollescat.

C A P. XXVIII.

De Insula Tabago vulgo dicta, quam nostri jam vocant novam Walachriam:

INSULÆ Trinitatis quam supra descripsimus, vicina est versus ortum, & septem aut octo milliarium intervallo, Insula *Tabago*, quam nostri jam ab aliquot annis Novam *Walachriam* nominare cœperunt. Ea distat, secundum nostrorum observationes, ab Æquatore versus Arctum XI grad. & XVI scrupul. Orientale illius latus sic satis editum est, eique objacent insulæ duæ minores & aliquot scopuli. Plures habet sinus, stationibus navium haud inidoneos. Verum quia in longitudinem inter

10 Aquilonem & Africū protenditur, ab ortu allabentes, quam difficillime ad eam possunt appellere, & tantum in duobus aut tribus sinibus anchoras jacere, fluctus enim validè feruntur versus favonium, ut caute velificandum sit iis, qui insulam cupiunt attingere, ne à fluctibus præter ipsam abripiantur, ut sæpius accidisse meminimus.

De cœli solique qualitatibus vix quicquam certi possum affirmare, laudantur enim utraque ab his, culpantur ab illis.

Diximus aliquot sinus habere stationi navium opportunos; horum unus jacet ad occidentale Insulæ cornu, iis qui australe insulæ latus radunt peropportunos; pone humile illius cornu & sub littore arenoso, ubi mare à duodecim ad quinque & viginti orgyas altum deprehenditur, & anchoris figendis idoneum est.

20 Alter sinus jacet ad septentrionale insulæ latus, distans à priori grande milliare; cui littus idem est arenosus, atque hic descendunt in mare quatuor potabiles amniculi, clauditur ab ortu edito cornu, quod circiter septem aut octo orgyas fluctus superat; pone quod læta planicies sternitur, sementi faciendæ haud inidonea.

Tertius sinus distat à secundo versus Arctum circiter dimidium milliare, arenoso itidem littore, in quem quoque pulcherrimus amniculus evolvitur.


Ex hac insula descendunt in altum, ad varias mundi plagas octodecim aut novemdecim amniculi potari pulcherrimi.

Præter innumeras arbores sylvestres varii generis; reperitur hic

30 maximus numerus palmitorū; quorum cacumem manditur, & non differt multum sapore à *Crambis*; folia autem aptissima sunt ad tuguria contegenda. Item *Bannanes*. Præterea arbores quædam vastæ & proceræ, quæ fructus ferunt instar prunorum, crocei coloris quos aqua coctos exprimunt: eliciuntque liquorem palato admodum gratum neque insalubrem. Adhæc *Papaja* arbor, quæ uno anno adolescit & fert fructum: excrescit autem, ut plurimum ad altitudinem quindecim & non raro viginti palmorum; & crassitudine humana: caudex autem illius est mollior & spongiosus, sine ramis; sed tantum foliis in summitate coronatus, quæ forma accedunt ad ficulnea; fructus adnascuntur


50 caudici, rotundi & mole globi qui pendet xv libras, sapore admodum similes Meloni; & refertus intus granulis nigris sapore sinapi; denique alvum leniter creduntur laxare: fructus maturantur omnibus anni mensibus. En tibi Iconem.

Reperitur hic quoque arbor illa, quæ fructus fert admodum grandes, instar cucurbitarum; ita ut à nostris acceperim visi nonnumquam qui duas stopas & dimidiam, ut nostri loquuntur, caperent: folia hujus arboris sunt longissima sed angustiora & obtu-




Papay.

& obtusa: fructus annascuntur trunco & majoribus ramis, cortice durissimo & pene ligneo, sed non adeo crasso; pleni pulpa quadam spongiosa, optimi saporis; succus dicitur alvum, & sanguinis profluvium sistere: nascitur locis modice humidis darque fructus pene omnibus anni mensibus. Iconem à quodam nostrorum acceptam hic adjungo.




Nascitur hic quoque Arbor mirabilis quæ copiosam admodum resinam fundit vel



leviter vulnerata, crocei coloris; à ramis hujus arboris descendunt certa filamenta, 40 quæ postquam terram attigerint, radices agunt, & ramos veluti sustentant: folia habet lata, ante obtusa & crassa lanugine recta; fructum fert pene instar capitelli papaveris, qui licet & ipse resina sive gummi sca- 50 teat, à psittacis tamen avide manducatur. Nos fo- lia & fructum hîc adjungimus.

Itidem Arbor, cujus materies rubra est instar ligni Brasiliæ, folia pene orbicularia, fert racematim fructus uvis haud dissimiles, saporis admodum grati; nasci-

nascitur potissimum juxta littora. Foliorum & fructuum Iconem adjicimus.



Denique Arbor quæ cassiæ quendam speciem producit, verum silvestrem; pro-
 30 cera arbor foliis instar *Tamarisci*: fructus similis est veræ Cassiæ, sed grossior, cellulis
 ad eundem modum divisus; sed pulpa illius est amarior & astringendi facultate præ-
 dita supra quidem descripsimus similem arborem sub nomine *Mizquitl*, sed sapor ^{l. 5. c. 33}
 filiquarum non convenit. Foliorum & fructus Iconem hic damus, prout ac-
 cepimus.




Inter plantas celebrant illam quam supra descripsimus, & à nostratibus diximus ^{l. 16. c. 12.}
 appellari *Slyptongen*.

Itemque altera instar Aloes, quæ semestris spatio caulem emittit interdum
 triginta palmos altum, in cujus summitate nascuntur fructus; forma pyris haud

Bbb

diff-

diffimiles, ajunt folia illius saponis vicem quamoptime explere. Iconem hanc adjungimus.



Animalia hic reperiuntur varia; nimirum porci Americani raris villis, & umbelico in dorso, ad Continentem, vocantur à barbaris *Pacquires*, crasso lardo; tum *Cassecamans* sive *Armadilli*: itemque *Iguanæ*: & animalcula quæ fœtus suos in Sacculo circumgestant. 10

Aves quoque hic quamplurimæ, præsertim *Psittaci* variorum colorum, *turtures*; aliæ: plurimæ quoque littorales & marinæ volucres, quæ facile in nidis suis intercipiuntur utpote hominum insuetæ.

Mare quod ambit, valde est piscosum, præsertim juxta littora, & in sinibus. Marinæ denique testudines immenso numero solent ad littora adnatare à mense Aprili ad Septembrem; quibus mensibus ova sua excludunt; capiuntur noctu, nullo pene negotio, modo animum diligenter advertas. 20


Paulo prolixiores fuimus in hac insula describenda, quia indubia fide hæc accepimus à nostris qui Insulam jam ab aliquot annis cæperunt colere,

DESCRIPTIO



NOORDT

VENEZVELA,
atque
OCCIDENTALIS PARS
NOVÆ ANDALVSIAE



Anglica leuca 20 in vno gradu.			
10	20	30	40
Hispanica leuca 15 in vno gradu.			
10	20	30	
Germanica milliaria 15 in vno gradu.			
10	20	30	

ZVYDT

1776